


NAZIONALE
12
7 I
24
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE



Georg. Abraham. Mercklinus
De
Ortu et Occasu
Transfusionis Sanguinis.

Corneli. Nicola. Schurtz sculp.

TRACTATIO MED. CURIOSA,

De

Ortu & Occasu TRANSFUSIONIS SANGUINIS,

Quâ

hæc, quæ fit è bruto in brutum, à foro Medico penitus eliminatur; illa, quæ è bruto in hominem peragitur, refutatur; & ista, quæ ex homine in hominem exercetur, ad experientiæ examen relegatur:


Authore

GEORG. ABRAHAM. MERCKLINO,
Jun. Doct. Medic. Norimbergensi Ord. & in S. R. J. Academiâ Natur. Curios. dict. Chirone.





NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOHANNIS ZIEGERI, Bibliopolæ.
Typis CHRISTOPHORI GERHARDI.



VIRIS

Nobilissimis, Maximè Strenuis, Magnificis, & Prudentissimis,

DOMINIS,

DN. GABRIELI NÜTZELIO,
ab & in Sündersbühl,
Ecclesiarum Ephoro,
DN. GEORG. FRIDERICO BEHAIM,
UTRIQUE VII. VIRO,
DN. WILHELMO IMHOFF,
DN. GEORG. PAULO PAUM-GARTNER,
ab Holenstein, & Lohnerstadt, in Grünsberg,
Scholarchis;
DN. CHRISTOPHORO FüRER,
ab Heimendorff, in Wolckersdorff,
DN. CAROLO WELSER,
à Neunhoff,
UTRIQUE Collegii Med. & Pharmac.
PRÆSIDI;
Singulis Reipubl. Norimbergensis
Senatoribus Gravissimis,
Dominis & Patronis Opt. Maxumis
S. F. Q. P.



NEſcio, quo arcano Naturæ conſilio fiat, ut pleriq; mortalium quævis nova, inauditaq; quævis impenſiùs admirentur, & altiùs ſuſpiciant; idq; ſæpe ſæpius, non quòd ita mereantur; ſed tantùm quia nova ac inaudita ſunt. Vulgò conſtat, vix aliâ ullâ ratione hominum animos faciliùs capi, & quaſi ineſcari, quàm inſolentium rerum illecebris. Imò omnes penè ſenſus novitate delectantur, & haud ràrò ita occæcantur, ut præ illâ rectum judicium ferre neſciant, extollantq; commendatione licèt indignum, tantùm quia novum.

Oculus nunquam lautiùs ſe paſcit, quàm jucundo antea non viſarum rerum ſpectaculo. Scilicet

Vtilia ſunt nobis, quæcunq; prioribus annis
Vidimus, & ſordet, quod novitate caret.

Auris

Auris nunquam blandiùs demulcetur, quàm suavi inauditarum rerum sono.

Cantio enim hæc hominum longè est celeberrima vulgo,
& gratissima, quæ nuperrime venit in aures.

Nec verò his nostris demum temporibus hic novitatis amor humana incessit pectora; viguit utique in Majorum etiam nostrorum animis, tamq; vehementer, ut etiam fuerint, qui, nescio, quo argumēto persuasi, omne, quod est novum, etiam optimum pronuntiare, non dubitarunt. Fortassis quâdam successionis consuetudine, quasi per traducem, à retrorsioribus seculis in hæc nostra propagatus, eundo vires acquisivit, &, adhuc magis magisq; sese multiplicando, fortior interea evasit. Quandoquidem hodieq; pleræque Artes ac Disciplinæ novitatem redolent, illarumq; Cultores avidissimè eam inhiant, & adhuc omnes inge-

ingenii sui nervos intendunt, aliquid excogitandi, ac inveniendi, quod Veteribus fuit incognitum; spe, fore, ut inde præcipuam gloriam ac nominis famam sibi concilient.

Fit autem hoc & libero, & laudabilissimo studio, ubi modus in his servatur rebus. Nam non omnia fecére, qui ante nos fuére, nulliq; unquam aliquid inveniendi, aut adjiciendi, via præcludetur. Quòd si verò licentiùs exorbitetur, & ingrata accedat affectatio, dici non potest, quàm ingens non solùm in Discentes, sed & in Docentes, exinde resultet damnum. Et illi quidem, in tanto novitatis pruritu, novarumq; sententiarum numero, ita confunduntur, ut, quam è tot diversissimis arripiant, planè incerti, perniciosissimo sufflamine in stadio suo retardentur, & discendo aut nihil discant, aut certè parum proficiant. Nec minùs Docentes sibimet ipsis

nocent,

nocent, quando præ summa opinionum multitudine, vel, quid doceant, ipsi ignorant, vel, quod hodiè docent, cras iterum dedocent; non sine probrosâ malæ institutionis notâ.

Atque hæc innovandi libertas nuspiam ferè, si Philosophos excipias, liberiùs hodie grassatur, quàm inter Apollineæ Artis Mystas. Hîc enim quia cuique, citra piaculum, suo abundare licet sensu, fit, ut penè quivis unus gloriolæ cupidus, ejus aucupandæ gratiâ, aliquid novi excogitet; aliquid mutet; aliquid corrigat; sæpè non tam publicum commodum juvandi, curatiùsq; Medicinam excolendi, quàm ingenium suum ostentandi studio. Hic aut novam, aut compendiosiorem, quâ Ars tradatur, excogitat Methodum. Ille in morborum à Veteribus datis refutandis, novisq; ac inauditis investigandis causis occupatur. Alius, animantium extis

accuratiùs lustratis, inaccessos aliàs, Veteribusq; minùs notos, rimatur ductûs, iisq; singulares usûs ingeniosè affingit. Alius ex Chymicorum furnis, nescio, quid novi excutit. Alius Chirurgum aptiora adhibere docet Instrumenta. Alius novam Horticulturam adornat. Alium alia innovandi trahit voluptas; crepantq; hodie plerique Medicorum nil nisi nova Inventa. Ut dubitare subeat, an, si Veteribus reditus in hunc Mundum daretur, Medicinam hoc novitatis pallio indutam ampliùs agnituri essent.

Et, quod maximè mirandum, fit plerunque, ut recens inventæ rei applaudatur, assensusq; accommodetur; idq; nonnunquam quidem fortassis non immeritò; nonnunquam verò vel solam ob novitatem: quod hinc animadvertere licet, quia eadem res mox iterum omnem gratiam amittit, quamprimùm novita-

tis

tis fucum exuit; juxta illud Oweni:

Quæ nova sunt, hodieq; placent, non usq; placebunt:
Cur? quia, quæ nova sunt, non nova semper erunt.

Absit autem, ut omnia nova Inventa damnem, nihilque prorsus immutandum, innovandumq;, sed id duntaxat rigidissimè retinendum esse velim, quod soli docuére Veteres. Absit, ut sic sentiam, ne notum illud Oweni exprobrari mihi possit:

Stulta hac invidia est, cui cuncta recentia sordent:
Invida stultitia est, cui nova sola placent.

Nolo imitari Thracicum illum Rusticum, qui, cùm vicinum putantem vites oleasq; vidisset, ipse à stirpe omnes incidit; probè gnarus, quòd illustria quædam nostrâ demum ætate excogitatâ Inventa tam egregii in ipsa etiam praxi sint usûs, ut ab iis, qui ultra vulgus Medicorum sapere videri volunt, ignorari nequeant.

Annon verò vicissim curiosa quædam Commenta sint, quæ, quia in praxi, ipsoq; opere nullius, aut certè perexigui usus deprehenduntur, rejicere, quàm retinere, satius sit, me intelligentioribus dijudicandum relinquo. Unicum tantùm impræsentiarum me nominare juvat. Nonne Transfusio Sanguinis, cùm primùm coepisset, in omnium penè, & quidem eorum præcipuè, qui Curiosi videri volebant, ore fuit, & partim etiam adhuc est? Nonne ejus utilitas tantùm non ad omnes graviores humani corporis affectûs p. n. deturbandos, ipsamq; vitam prolongandam exporrecta est? At quæ, rectâ sinceræ rationis lance ductâ, reapse vel perexigua, vel omninò nulla hodiè deprehenditur. Nonne sui & Defensores, & Propagatores, & Imitatores primùm nacta est quàm plurimos? At quæ hodie ab æquè multis defensione ac imitatione

tatione vix ac ne vix quidem digna deputatur. Cur verò aliis placeat; aliis contrà displiceat, præsens hæc dabit Tractatio.

Hæc dum Patronos ac Tutelares Deos poscere mihi videbatur, de iis circumspicienti, inter omnes, quotquot mihi propitios novi, nullos Literis, Literatisq; magis faventes invenire licuit, quàm *Vos, Viri Incluti!* Unde hac ipsâ spe, *Vos* nec hunc meum conatum penitùs despecturos esse, idem, cum aliis, ad *Vos* vadum tentare, & hujus quoque Libelli frontispicio Nobilissima Nomina Vestra similiter affigere volui, idq; partim, ut inde in ipsam Opellam, ex se omni verborum nitore rerumq; gratiâ carentem, aliqui Vestri splendoris radii se diffundant; partim ut erga *Vos, Magnifici Dnn. Scholarchæ!* qui olim Studia mea benignissimè enutrivistis,

vistis, publica grati animi mei testificatio extet, & *Vobis, Spectatissimi* Collegii nostri *Dnn. Præsides!* devotum, &, quale Præsidio Cliens debet, venerationis documentum à me exhibeatur.

Accipite ergo, *Senatores Gravissimi!* pro decantatissima Vestra humanitate, & propensissimâ in Literatos benevolentiâ, quod eo, quo debeo, submissionis cultu offero, benignâ mente manuq;.

Deus sanguinem, in Nobilissimis Corporibus Vestris, ad seros usque vitæqúe saturos annos intaminatum servet, ut nec alieni sanguinis Transfusione, nec multo medicaminum usu opus habeatis.

Norimberg.
D. XII. Cal. April.
M. DC. L XXIX.

NN. SS. PP.
MM. VV.
quoad sanguis in meis calebit venis
devotissimus
Georg. Abraham. Mercklinus,
Jun. D.

PRÆFATIO
ad
Æquum, & sinceri judicii Lectorem.

INtegrum circiter octennium processit, ex quo primùm, ex Italia noviter redux, succisivis horis, à me conscriptam Transfusionis Sanguinis Historiam typis destinaveram; idq; hâc potissimùm fini, ut Curiosorum, novitatisq; avidorum hominum desiderio quadantenus satisfieret, quippe quos tùm de nova hac Operatione frequentissimè apud nos mussitare sensi. At enim verò, cùm eam manu tantùm adhuc scriptam, antequàm prælo submitteretur, aliquot doctorum Virorum amicis censuris, Veterum more, exponere, non sine ratione, placeret, ecce! apud eorum aliquem hærens, nescio, quâ incuriâ, ab exorto in Musæo incendio, ita, cum aliis Scriptis, corrupta atq; consumpta est, ut, præter pauxilla folia, nihil ejus remanserit; unde id, illo tempore, effectum dare, quod in animo habui, non licuit. Atque hæc jactura fecit, ut postmodùm de Scripti hujus editione nunquam ampliùs cogitârim, maximè, ubi animadverti, Transfusionem Sanguinis jam exolescere, inq; animis cordatiorum vilescere incipere.

Quod

Quod verò nihilominus idem Opus denuò ruminatus, nunc demum in publicam lucem emittam, non una est causa: & quidem primò, quia aliqui eorum, qui præsentem Tractationem adhuc ineditam olim viderunt, eam in publicis Scriptis suis hinc inde allegarunt; imò & ipsemet in Annotationibus *meis ad Joseph. Pandolphini, ante quinquennium à me editum* Tractatum, de Ventositate Spinæ, cap. 4. *citavi: deinde quia aliquot jam abhinc annis nonnulli magni nominis Viri, quorum nutus atq; voluntas pro miti quasi imperio mihi esse solet, ejusdem Codicis editionem urserunt: & tertiò quia mihi, in Inclutam S. R. J. Academiam Naturæ Curiosorum haud ita pridem solemni ritu adoptato, vi Legum, incumbit, Specimen aliquod, sive ex Regno Minerali, sive Vegetabili, sive Animali desumptum exhibere; unde fidem meam aliquantùm liberaturus, debitumq; expuncturus, deliberato consilio, apud animum meum conclusi, hanc ipsam cramben recoquere, hacq; singularis, protractioribus his hyemis demùm noctibus, à me elucubratæ Tractationis formâ iterum apponere, haud ita dubiâ spe, eam non usq; adeò ingratam fore. Quandoquidem ipsâ novitatis specie, quæ hodiè sola plerosq; delectat,*

lectat, & tantum non fascinat, non minùs se commendabit.

Mei enim instituti cardo in hoc potissimùm versatur, ut, præmisso brevi, de Ortu ac Modis Transfusionis Sanguinis, sermone, eam, quæ fit è bruto in hominem, non immeritò suspectam haberi, aleâq; periculosâ plenam, minùsq; tutam, ac inutilem Operationem esse, ut ut fortassis non penitùs impossibilem, argumentis, meâ quidem opinione, non adeo elumbibus, evincam atq; contendam; id quod datâ operâ atq; ex professo nondum à quoquam in Germania factum memini.

Hôc autem, tantum abest, ut quenquam lædere, aliudve sentientem acerbiùs traducere, multò minùs indignis convitiis proscindere, quod à me alienissimum est, studiô intenderim; ut potiùs, liberâ cuivis, quidvis sentiendi, relictâ potestate, sedulò operam dederim, eâ modestiâ atq; continentiâ agere, quam non possit non etiam Adversarius probare; quo ïpso consilio studiosè me continui, in personas debacchari, eosq;, contra quorum sententias dimico, suis nominibus exprimere.

Quid? quòd impendiò dolerem, si quod fortè durius excidisset verbum, quo se quisquam offensum putare posset. Ipse verò contrà gauderem, si sufficienti, multiplicium, felici

eventu, factorum experimentorum, inductione nova hujus Operationis utilitas, ad Medicæ rei complementum, vel, pro vita prolongandâ, vel, pro quibusdam morbis profligandis, bonis mortalium rebus, postliminiò vindicaretur, atq; adeo meas suspiciones, inanes, falsas, & frustrà fictas, nullumq; periculum, quod me tenet anxium, hic metuendum esse, contrariis rationibus ostenderetur. Verbo: hæ illæ sunt difficultates, quibus mihi Transfusio Sanguinis, quæ fit è bruto in hominem, premi videbatur, quas hâc ipsâ scriptione complecti libuit, ut, ubi pondus habere, calculumq; mereri videbuntur, nemini non innotescat, Transfusionem hanc, ceu futilem, tollendis morbis imparem, ac periculosam, posthàc penitùs exulare debere, & omninò abrogandam, repudiandam, ac aversandam esse: sin minùs, collectis hisce dubiis, rectiùs obviam ire, & oppositorum argumentorum non minùs, quàm sufficientium experimentorum robore, contrarium confirmare, Inventoq; pristinam authoritatem, cuicunq; libuerit, commodiùs asserere liceat. Apodictica autem sive infallibilia argumenta hic ego nulla vendito. Abundet quilibet suo sensu, certòq; sibi persuadeat, perinde mihi esse, sive meam sententiam ratam habeat, sive irritam, modò eam impugnatu-

rus

rus id similiter sine acerbitate aut amarulentiâ faciat; &, quod rogito, non sigillatim ad unum tantùm atq; alterum argumentum, sed ad omnia & singula ordine respondeat. Non enim omnia ejusdem sunt ponderis, sed ita comparata, ut sæpe unum ex altero fluat; haud rarò unum etiam alterum prolixiùs explicet; quô non aliter fieri potest, quin unum altero fortiùs aut debiliùs stringat; adeo, ut omnium argumentorum, phænomenorum, atq; similitudinum, collectio demum sententiæ nostræ summam constituat.

Nec ideo solùm vapulabo, quòd solicitè ab aliis excogitatum Inventum ego diruere audeam, diligentiùs potiùs excolendum, ne fæcunda & ad inveniendas res felicia ingenia, malo hoc exemplo, posthac deterreantur. Sed enim si nuspiam de nulla re unquam dubitandum, quod nos unicè hîc facimus, unde amabo! tot diversissimæ natæ sunt opiniones? unde ortum traxit illud, quod communiter dici solet, omnia quidem esse probanda, sed illud tantùm, quod bonum est, tenendum? Eccur Cartesius, Subtilissimus ille Philosophus, de omnibus dubitandum præcepit? Nonne reciprocâ disputatione veritas elicitur? Hoccine unicum Inventum illâ sorte, quæ plerasq;, si non omnes res novas,

in omnibus disciplinis, ipsâq; etiam in Medicinâ manere solet, ut primùm vexentur, exemptum sit? Nonne à rigido hoc mancipii genere omnis sanior Philosophia nunquam non abhorruit, quo nudè, sine ulla contradictione, sineq; ulla dubitatione, uni soli credatur, inq; sola Magistri verba, sine propriæ rationis adhibitione, juretur?

Confido ergo, neminem fore, nisi invidum, nisi præconceptæ opinionis caligine occæcatum, nisiq; morosum admodum, qui hanc dubitandi rationem vitio mihi vertat. Imò nec bonum, etiamsi refutatum se senserit, mihi ea propter succensurum spero.

Interea Inventionis hujus laudem nihilominùs illi, cui debetur, relinquimus libenter, concedimus cumulatè, & deferimus liberaliter. Vale, Lector Benivole! & hac in limine monuisse, æqui boniq; consule.



Fragmen-

Fragmenta Epiſtolarum, quibus præſentis Tractationis Author, de ejus editione, à Clariſſ. quibusdam Viris, per Literarum commercium, jam olim admonitus eſt.

Johan. Chriſtian. Frommannus,
D. Medic. Provincial. Saxo - Coburgic. & Profeſſ. Publ.

MUſas Tuas ſplendidas ſalutaturus, præmiſsâ ſalutis officiorumq; nuncupatione, imò & gratiarum actione, pro Tractationis Tuæ doctisſimæ, de Transfuſione Sanguinis, quam remitto, communicatione; redeo. Scriptum ſeſamo & papavere conſperſum, hoc eſt, acutè elaboratum, voracibus oculis hauſi, & ex eo, quod animi famem ſedare potuit, uberrimè reportavi. Ut verum fatear, ſuſpectum mihi quoque jam olim fuit idem hoc negotium. Medicæ Artis luſum & exercitium curioſum appellavi; propterea tamen non in uſum trahendum, familiarem, judicavi; & jam nervoſæ, quas Tractatio Tua Curioſa profert, rationes me magis magisq; confirmarunt; &c. *Et ſub finem:* Verùm & omnem conatum ingenii Tui

 calore

calore fractum, &, si Scripto huic (cujus editionem & suadeo & desidero) ullus insultaverit, eodem repulsum iri, nullus pariter dubito.

Coburgi, D. 18. April.
M. DC. LXXII.

Idem.

RElatio, quæ me latuit, de Transfusionis interdicto, Romæ, sub statuta pœnâ, promulgato, lectu mihi fuit jucunda. Ne autem eruditam Tuam, de ea, manu scriptam Tractationem propterea, & propter mea Tibi communicata dubia, oblivioni tradas, amicè rogo: imò alios idem sentientes opera Tua literaria, ut confirmentur, invitabit, & interdicti sui, se non pœnitere, fatebuntur illius Authores. Itaque opinionum monstro domando semper quærenda & reservanda est Herculis clava, quam si docto orbi eruditâ manu subministraveris, seu in superando isto Hercules ipse fueris, nomen & gratiam non exiguam referes.

Coburgi, D. 21. Novembr.
M. DC. LXXII.

Georg.

Georg. Hieronym. Velschius,
Medicus Augustan. & in S. R. J. Academ. Natur. Curios. dictus Nestor.

TRactatum Tuum, de Transfusione Sanguinis, vidi. Probo eum, & seriò hortor, ut edas. Etsi enim Pontificis Romani jussu abrogata sit, succedente omnium silentio, interest tamen Medicæ historiæ, hunc quoque inseri.

Augustæ Vindelic.
Ipsis Idibus Decembribus.
M. DC. LXXII.

Lucas Schröckius, Luc. Fil. Med.
Doct. Physicus Augustan. & in S. R. J. Acadam. Natur. Curios. dictus Celsus.

NOn esse Te otiosum, Discursus, de Transfusione Sanguinis, oppidò, ut credo, eruditissimus, unde Literatis eum placere posse, nullus dubito, sufficienter comprobat. Nobilem illam materiam percurrere haud detrecto; non alium tamen in finem, quàm ut doctior inde evadam.

Augustæ Vindelic.
D. 7. Novembr. Styl. nov.
M. DC. LXXII.

Idem.

TRactationem Tuam, de Transfusione Sanguinis, infidam consumpsisse flammam, tantoq; labori ac diligentiæ tam inspiratam tribuisse mercedem, doleo. Sic non semper tutum est, res meditatas premere in annos. Tu fortiùs itaque insta, & quæ alia, luce publicâ digna, habes, Vulcano, cæterisq; fortunæ technis eripe, fructumq; debitum expecta.

August. Vindel.
D. 29. Decembr. Styl. nov.
M. DC. LXXIV.

Johannes Laurentius Fehr, Joh. Mich. Fil. Med. Doct. Practic. Svinfurt. & S. R. J. Academ. Natur. Curiosus.

DOminus Parens meus, qui multam & Tuo Domino Parenti & Tibi denunciare salutem jussit, Tractatum Tuum, de Sanguinis Transfusione, satis ingeniosè atque nervosè elaboratum, legit, dignumq; omninò judicavit, qui luci publicæ exponeretur. Tu sanè Operam Orbi literario haud inutilem collocasti. Integrum autem Tractatum hunc Typographo Collegii Natur. Curios. offerre non audeo,

quia

quia forsan videbitur nimius; & aliquid exinde excerpere, ob intimam unius cum altero connexionem, non licebit, ne mutilum ac mancum reddatur Opus. Non tamen dubito, quin & hæc materia egregiè enucleata suum posthac habitura sit promotorem. Gratias interim ago pro communicatione, atque hâc commodâ occasione oblatâ remitto totum Tractatum.

Suinfurti, D. 13. Maij.
M. DC. LXXIV.

Paulus Francisci, Transylvanus,

cùm hæc scriberet, Medicin. Candidatus Altdorph. nunc Doctor, & Physicus Ordin. Wonsiedlensis.

NUnc, quod ulteriùs jusseras, præstandum esset, nimirum Tractatio Tua, de Transfusione Sanguinis, remittenda. Sed, heu! me infelicem: flamma vorax devoravit eam. Nox erat (ut infortunii mei rationem Tibi reddam) ipsa nimirum, quæ præcedebat Festum Academicum Petro-Paulinum, cùm ego cubitum iturus, vestibusq; deponendis jam occupatus, ab exortis subitò clamoribus quibusdam, cum quali quali Musicâ, permixtis, ad auscultandum avocarer, relicto interim candelabro candelam ardentem sustinente in



Conclavi meo. Paulùm itaque commoratus apud feneſtram veſtibuli, & rurſus ingreſſus Muſeum, proh dolor! Vulcanum inſatiabilem, luculento igne, in Muſas meas furentem video. Unde inſolito terrore perculſus, ne ulteriùs pergeret, partim aquà; partim pedibus, manibusq; furorem ipſius compeſcui, cubitumq; ut ſomnus, ſi quis ſuccederet, dolorem leniret, me contuli. Mane ſummo pauperculas meas reculas reviſens, bonam earum partem conſumptam, corruptam, & uſui ineptam reperio; ſed quod maximè cruciat, & tantum non conſumit me, Tuam ipſam Tractationem, de Transfuſione Sanguinis (quam ante aliquot dies ab Excell. Dn. D. Brunone, Tuo juſſu, acceperam) iis adnumeratam video. O me infelicem! inquam: hoccine pulchrum illud natalitium eſt, quod ipſis nominalibus meis mihi offertur? Nulla calamitas ſola. Ita humanæ ſortis inſidiator & paucula, quæ poſſideo, & Fautores mihi rapere vehementer conatur. Sed quid ego Tibi? Vir Excellentiſſime! Quibus ego verbis culpam hanc Tibi deprecer? Præ ſummo certè animi dolore vix, quid vel nunc ſcribo, ſcio. Animus angitur; manus tremit; calamus vacillat. Verbulum

lum dico: ignosce Fautor, (siquidem adhuc pati poteris, me hoc nomine Te compellare) Suspiciende! & commiserere infelici. Fateor quidem (hoc enim est, quod doleo) hâc ipsâ jacturâ jacturam passam esse Rempublic. literariam, nisi Tu modum adhuc scias & habeas, quo ea sit compensanda. Considera, quantum ipsi Celeberrimo Thom. Bartholino ex Bibliothecæ suæ combustione damnum accesserit, & hujus utere solatio; mihi verò, veniam submissè petenti, parce.

Altdorphl, D. 19. Augus. M. DC. LXXIV.

SYLLABUS CAPITUM.

CAPUT I.

Transfusio Sanguinis quid? quotuplex sit? quibus Instrumentis, & quomodo illa è bruto in hominem fiat?

CAPUT II.

An Ovidio, Marsil. Ficino, Joh. Colli, Andr. Libavio, jam olim nota & probata fuerit? Ejus hodierni Inventores recensentur.

CAPUT III.

Ejus præcipuus usus in prolongatione vitæ, & morborum quorundam curatione consistere dicitur; sed refutatur uterque. Sanguinis è bruto in brutum Transfusio ad Medicum non pertinet. Illa, quæ fit è bruto in hominem, non medetur corruptioni Mentis: non Lethargo: non Phthisi: non ulli Febrium speciei. Non adhibenda

hibenda iis, qui integrâ valetudine gaudent. Non adeo facilè exerceri potest, sed multis difficultatibus implicita est. Non facit contra Lepram, quæ describitur: non contra Luem Veneream: non contra Cancrum, Erysipelas, aliaque Ulcera externa: non contra Variolas: non contra Pleuritidem, aliasve internas Inflammationes: non contra Hæmorrhagias: non contra Rabiem, nec denique contra ullum alium morbum.

CAPUT IV.

Quatuor secundarii usus examinãtur, & rejiciuntur.

CAPUT V.

Phænomena, numero sex, pro Transfusione adducta ventilantur, & ad ea ita respondetur, ut cuncta nihil probare ostendatur.

CAPUT VI.

Positiones, sive argumenta aliquot ex sacris & profanis Scriptoribus, contra Transfusionem, afferuntur; quæ Romæ & Lutetiis Paris. interdicta est; & ab aliis etiam Cl. Viris improbatur. Duplici gravissimæ occurritur objectioni.

CAPUT VII.

Aliquot Similitudinibus nostra sententia contra Transfus. Sanguin. illustratur.

CAPUT VIII.

Reliqua damna atque pericula, ex Transfusione metuenda, in medium proferuntur.

CAPUT IX.

Transfusio Sanguinis ex homine in hominem duplici modo fieri potest: nec approbatur, nec improbatur, sed in medio relinquitur, & ad experientiæ examen relegatur.

CAP. I.



Caput I.

Transfusio Sanguinis quid? quotuplex sit? quibus instrumentis, & quomodo illa è bruto in hominem fiat?

Quid Sanguinis sit Transfusio; quo ea fiat modo; & quibus administrari soleat instrumentis, vix opus esse puto particulatim prolixè hîc deducere. Neminem enim cordatiorum Medicorum hodiè esse scio, cui de hoc non constet Invento. Ne tamen sine omni methodo agam, primumq; hoc membrum confuso saltu superem, paucissimis me expedire, consultissimum duxi. Scilicet est Transfusio Sanguinis nihil aliud, quàm sanguinis unius animalis, in sanguifluum vas alterius animalis, per intermedios artificiosè paratos canaliculos sive tubulos, facta derivatio; ad illius animalis, in quod sanguis transfunditur, vel vitam prolongandam, vel morbos averruncandos potissimùm excogitata.

Animal à quo, & in quod sanguis transfunditur, vel est rationale, id est, homo; vel irrationale sive brutum; & quidem vel

utrumque ejusdem inter se speciei; vel diversæ. Ita transfunditur v. g. ex homine in hominem: è bruto in hominem: & è bruto in brutum: idq; iterum vel è cane in canem: ex agno in agnum: è vitulo in vitulum: vel è cane in agnum: ex agno in vitulum, & vice versâ; prout nempe res atque varius ejus, qui operationem hanc instituit, præfixus poscit finis.

Per sanguifluum vas intelligitur vel vena; vel arteria. Ex homine in hominem instituturus Transfusionem, in dorso manus eligere solet venam, ex qua tusâ sanguis scaturiens vel itidem in venam dorsi manus, vel in venam cubiti, ut decet, apertam alterius hominis elutrietur. Eandem verò Operationem è bruto in hominem qui celebrare satagit, diffindit vel bruti arteriam carotidem, vel ejusdem arteriam cruralem, quippe quam aptiorem posteri deprehenderunt, vel etiam, ut aliis placet, venam jugularem; derivatq; inde sanguinem in patentiorem venam cubiti hominis.

Instrumentorum loco, per quæ, ceu media, ab uno animali in aliud transire debet sanguis, primo Inventi exortu tenuis pennæ cauliculi adhibiti sunt. Quia autem eos paulo pòst alii minus idoneos deprehenderunt, ideo mox in illorum vicem substituerunt canaliculos sive tubulos, eosq; vel argenteos, vel æreos, vel orichalceos, vel denique vitreos sive crystallinos; & quidem iterum, vel

rectos,

rectos, vel unâ tantùm extremitate, vel utrâque, incurvatos, partimq; exiguâ fimbriâ, pro commodiore ligatione, instructos; partim verò eâ destitutos. Sunt tandem rursus alii, qui binis invicem insertis canaliculis, mollibus intestinorum frustulis, aut arteriæ cervicalis, ex equo vel bove aliquo exemptæ, segmentis, in medio obvolutis, pro majori, ne sanguis in itinere concrescat atque coëat, securitate, uti malunt; quem in finem etiam nonnulli non dubitant, canaliculis suis aliquot grana salis volatilis Cornu Cervi, aut florum salis Armoniaci indere, ut nempe transeuntis sanguinis coagulatio in iis prohibeatur. Longitudo autem horum tubulorum, pro varietate circumstantiarum, multùm quidem variat, ita, ut nunc longioribus, nunc brevioribus opus sit; digitum tamen cum dimidio nullus unqam superat.

Fit ergo Transfusio Sanguinis (cujusè bruto in hominem instituendæ quandam quasi succinctam Sciagraphiam exhibere placuit) hoc propemodùm modo: Extenditur v. g. Vitulus super tabulam ligneam, pedibus atq; capite diligenter alligatis, ne motu ac calcitratione Operantem remoretur; eoq; locatur positu, quo alterum ejus crus hominis cubito quàm proximè adaptari possit. Tum bruti arteria cruralis phlebotomo aut lancettâ, vel quo-demum-cunque alio idoneo instrumento aperitur, inq; eam actutùm agillimâ manu canaliculus conveniens, cu-

ſpide tenus, verſus Cor immittitur, pollice & primo digito inter ipſam arteriam ita comprimendus, ut neutrò deflectere aut exorbitare queat. Hoc dum fit, hominis vena cubiti magis conſpicua ſine morâ, injectâ duplici ligaturâ, qualis in vulgari venæ ſectione fieri aſſolet, phlebotomico inſtrumento ſecatur, inq; eam, poſtquam tantundem ſanguinis emisſum eſt, quantum infundere de bruti ſanguine, animo ſedet, altera canaliculi extremitas, Cor itidem reſpiciens, dextrâ manuum promptitudine inſinuatur, ſicq; ſanguis è Vitulo in hominem traducitur; probè nunquam non quovis modo præcavendo, ne is in tranſitu coeat atque grumeſcat.

Cap. II.

An Ovidio, Marſil. Ficino, Joh. Colli, Andr. Libavio, jam olim nota & probata fuerit? Ejus hodierni Inventores recenſentur.

Explicatis breviter præcipuis in Definitione ſeu potius Deſcriptione expreſſis verbis, occaſione reliquorum, in eâ additorum, finis quoque ſive uſus examinandus eſſet, niſi conſultiùs fore judicaremus, brevem prius, de Ortu atque Authoribus Transfuſoriæ hujus Artis, præmittere narratiunculam; quò ſimul de ratione tituli Tractationi præfixi liquidiùs conſtet.

Abeunt autem aliqui longius, & ex priſcis etiam ſeculis accerſunt, quos vel multum lucis

cis huic Invento fœnerari, vel saltem ad idem non levem ansam aliis præbuisse credunt. Ipsum enim Ovidium in partes suas trahunt, perhibentes, eum fabuloso quodam commento hodiernæ sanguinis Transfusionis methodum simul ac effectum non adeò malè descripsisse, quando *Libr. 7. Metamorph.* Jasonium Patrem Æsonem ex decrepito, à Medeâ ejusdem penè præsidii beneficio, juvenem factum ita fingit:

—— —— Stricto Medea recludit
ense Senis jugulum, veteremq; exire cruorem
passa, replet succis, quos postquam combibit
Æson,
aut ore exceptos, aut vulnere, barba comæq;,
canitie positâ, nigrum rapuere colorem.
Pulsa fugit macies: abeunt pallorq; situsq;:
adjecto cava supplentur corpore rugæ,
membraq; luxuriant —— —— ——

vel quando alibi eandem Medeam ita introducit, ut Peliæ filias de eodem artificio Parenti adhibendo commonefacere videatur.

—— Quid nunc dubitatis inertes?
Stringite, ait, gladios, veteremq; haurite cruorem,
ut repleam vacuas juvenili sanguine venas:
In manibus vestris vita est, ætasq; Parentis.

Nec desunt, qui, ex superiori seculo, Marsilium Ficinum quoquepro se allegare audent, etiamsi & Ovidius & hic Ficinus neutiquam derivationem sanguinis ab unius animalis arteria in venam alterius, sed tan-

tùm sanguinis calentis recentisq; ex vena juvenis sive adolescentis suctionem, juvenescere cupientibus senibus, conceptis verbis, suadeat. Ita namq; de *Studiosorum sanitate tuendâ libr. 2. c. 11.* edit. Lugdun. anno 1560: Communis, inquit, quædam est & vetus opinio, aniculas quasdam sagas (quæ & Striges vulgari nomine nuncupantur) infantium sugere sanguinem, quo pro viribus juvenescant. Cur non & nostri senes, omni videlicet auxilio destituti, sanguinem adolescentis sugant; volentis, inquam, adolescentis, sani, læti, temperati, cui sanguis quidem sit optimus, sed forte nimius? Sugant igitur more hirudinum ex brachii sinistri vena vix apertâ unciam unam aut duas.

Propiùs sanè rem tangit Joh. Colle, non postremus, inter primos currentis seculi Scriptores Medicos, Scriptor, quo nescio an quisquam veterum Medicorum vividioribus coloribus novum hocce Commentum depinxerit; adeò, ut nullum pene sit dubium, quin de eo ab homine in hominem instituendo jam olim revera cogitarit. Non tædet ipsa ejus verba transcribere, quæ reperire est in *Method. facilè parandi jucunda, tuta, & nova medicamenta*, edit. Venet. anni 1628. & in specie de *jucundis & Spagyricis cibis ac medicamentis pro vita & senectute longius producendâ cap. 7. p. m. 170.* Denuo, ait, insurget aliquis, frustra hæc esse tentanda, dum per pauciora æque & benè valemus consequi optata,

veluti

veluti si quis sanguis è vena exiliens juvenis admodum salubris, per fistulam in venam senis permeet, insufflante juvene, & sene attrahente & inspirante; ut sanguis juvenis intus attrahatur à sene, & ne hujus egrediatur. Nam hic sanguis potest reparare humidum primigenium & temperamentum, docente Aristotele: si senex haberet oculum adolescentis, videret ut juvenis. Hæc ille. In hunc locum casu, & tanquam aliud agens, incidi, quem ante me, quantum scio, nemo publicè exstante Scripto indicavit.

Tandem & Andr. Libavius in scenam hanc producitur. Quid autem is? Transfusionem Sanguinis exsertis quidem verbis describit, quando, *Appendic. Syntagmat. Arcan. Chymic.* edit. Francofurt. 1615. cap. 4. Adsit, inquit, juvenis robustus, sanus, sanguine spirituoso plenus. Adstet exhaustus viribus, tenuis, macilentus, vix animam trahens. Magister artis habeat tubulos argenteos inter se congruentes. Aperiat arteriam robusti, & tubulum inserat, muniatq; : mox & ægroti arteriam findat, & tubulum femineum infigat: jam duos tubulos sibi mutuo applicet, & ex sano sanguis arterialis, calens & spirituosus saliet in ægrotum, unàque vitæ fontem afferet, omnemq; languorem pellet. Sed tantum abest, ut Artem hanc imitandam præcipiat, suoq; calculo approbet, ut potius, ceu ridiculam, absurdam ac inimitabilem manifesto rejiciat atque explodat. Quid enim sibi

vult hæc responsio, quam sibimet ipsi dat, quando quærit: an robustus ille non langueſcet? ubi non ſine ſubſannatione jubet, ut ei exhibeantur bona confortantia atque cibi; Medico verò helleborus.

Verùm quid me moror veterum Authorum allegatione, cùm nemo eorum, qui Inventi hujus laudem ſibi vendicare ſolent, conceſſurus ſit, veros ejus natales inde à retrorſioribus jam temporibus deducendos eſſe. Nondum, dicent illi, tantam ætatem nacta eſt hæc Ars. Non prioribus ſeculis; non avorum; non parentum noſtrorum, ſed noſtrâ demum memoriâ, & non niſi paucis abhinc luſtris, naſci cæpit. Iccirco & in noſtra tempora curatiùs inquirere, atque recentes rei Inventores in medium ſtrictim proferre juvabit; ubi, in antecesſum, notandum, Transfuſionis Sanguinis è bruto in brutum exercendæ, Anglos; ejus verò è bruto in hominem, Gallos, primos Authores communiter dici. Et quidem inter Anglos nominari ſpeciatim hic ſolent Timotheus Clerck, & D. Henshaw, ita tamen, ut uterque de novo hoc Invento, arreptâ ab Infuſoria Chirurgiâ, ceu matre, anſâ, omnium quidem primùm, idq; anno 1657. cogitarit, idem autem nunquam felici eventu adhibuerit, à quamplurimis difficultatibus usque impeditus. His verò difficultatibus poſt integrum demum decennium ſuperatis, maximamq; partem ſublatis, anno 1666. rem iterum primùm exopta-

to successu aggressus est Richardus Lowerus, ille, edito, de Corde, curiosissimo Tractatu, celebris Medicus; cujus conatûs mox Edmundus King & Coxius eadem felicitate imitati sunt; sed non nisi in solis brutis factis experimentis.

Galli autem illi fuerunt, qui, ultrà progressi, eandem Operationem in bruto ac homine quoque, circa annum 1667. primitus tentare ausi sunt; quo nomine præcipuè inclaruit Dionysius, celebris Mathem. & Physic. Professor Parisiensis.

Hi, inquam, potissimam inventionis laudem à posteritate vulgò meruerunt. Nec tamen interea aliis etiam regionibus defuere, qui hanc honoris palmam tantum nō dubiam Anglis simul atque Gallis reddere videntur. Sic in ipsa Germania nostra Joh. Daniel Major, Medicinæ Professor Kilonienfis, acutissimi, rari ac curiosi ingenii Vir, Fautorq; & Amicus noster Honoratissimus, occasione Chirurgiæ Infusoriæ, quam ipse primus revera excogitavit, de transfundendo etiam è bruto in hominem sanguine non minùs deliberavit, idq; antequam de Anglorum Gallorumve Transfusione quicquam constare ei potuerat. Taceo Mauricium Hoffmannum, diversorum Imperii Statuum Medicum & Professorem Altdorphinum, Fautorem meum Venerandum, ex cujus publicis Prælectionibus monstrari potest, ei Sanguinis ab homine in hominem moliendam Transfusionem du-

dum antè, quàm de factis apud exteros circa eam qualibus qualibus experimentis rumor ad nos advolaverat, innotuisse; ut ut metu conscientiæ lædendæ eandem exercere hactenus noluerit. Et in Italia Bononiæ sub ipsum statim inventæ Transfusionis initium similiter eam in duobus agnis factam esse, ex fide dignorum relatione indubitatum habetur. Sive ergo huic, sive illi, sive isti, sive cui demum-cunque horum inventionis gloria potiori jure competat, meum non est disquirere. Quid enim attinet, de Authore illius rei multùm disceptare, de cujus utilitate hodie tantopere dubitatur?

Cap. III.

Ejus præcipuus usus in prolongatione vitæ, & morborum quorundam curatione consistere dicitur; sed refutatur uterque. Sanguinis è bruto in brutum Transfusio ad Medicum non pertinet. Illa, quæ fit è bruto in hominem, non medetur corruptioni Mentis: non Lethargo: non Phthisi: non ulli Febrium speciei. Non adhibenda iis, qui integrâ valetudine gaudent. Non adeo facilè exerceri potest, sed multis difficultatibus implicita est. Non facit contra Lepram, quæ describitur: non contra Luem Veneream: non contra Cancrum, Erysipelas, aliaque Ulcera externa: non contra Variolas: non contra Pleuritidem, aliasve internas Inflammationes: non contra Hæmorrhagias: non contra Rabiem, nec denique contra ullum alium morbum.

QUænam verò hæc utilitas, quæ quorundam hominum ſpem tam altè implet? Ejus præcipuam partem jam ſupra Cap. I. levi digito atttigimus, paulò plenius nunc pertexuri. Ajunt, novum Transfuſionis Sanguinis Inventum, vitam prolongare, & morbos amoliri, aptum natum eſſe. Inæſtimabilis, me hercule! uſus, à quo præcipuus totius Medicinæ finis pendet. Quò enim vita hominis ſanitasq; pretioſius bonum eſt, eò illud præſidium, quod per ſanguinis redintegrationem ejus prolongationem juvat, magnificentius meritò habendum. Atqui hoc Sanguinis Transfuſio præſtare poſſe dicitur, quando miſſis, ex defloccati ſenis venâ, aliquot emarcidi ſanguinis unciis, in ejus locum tantundem ſanguinis integri, ſalubris, florentisque, aut ab animoſo & optimâ ſanitate prædito juvene emendicati (quæ una eſt Transfuſionis Sanguinis ſpecies, de qua ſub finem Cap. ultimò) aut ab intaminato bruto (quæ altera noſtriq; unicè inſtituti ſpecies eſt) deſumpti ſubſtituitur, jamq; ſupra commemoratâ methodo in hominem annoſum traducitur, quò ille, exutis inde ſenii exuviis, amiſſas vires, ſi non omnino, aliquantùm tamen, recipiat, &, induto amicabili juventutis paludamento, quâdam quaſi παλιγγενεσίᾳ redintegreſcat.

Tertiam verò ſpeciem, quâ ſanguis à bruto in brutum transfunditur, à noſtris cancel-

lis

lis prorsus exterminare nulli dubitamus, quippe quæ sub considerationem Medici omnino non cadit, & per se nunquam, sed semper eum tantùm in finem celebrata est, ut, factis prius in brutis innoxiis experimentis, deinceps & ad hominem progressus fieri posset securiùs. Quandoquidem non circa animal brutum, sed circa hominem versatur Medicus, Hic hominis vitam prolongare, sanitatem præsentem conservare, amissamq; restituere studet; non autem animalis bruti.

Alter usus seu finis generalis atque primarius novi hujus Præsidii consistit in profligatione morborum: & acquiri posse creditur, quoties ex vena hominis gravi aliquo morbo laborantis sanguis impurus, corruptus, aut aliâ ratione peccans, ad aliquot uncias evocatur, ejusq; loco sanguis beluinus, recens, illibatus, ac defœcatus, sed & ad humanum sanguinem immutandum aptus, atque sic contrarias qualitates possidens, Transfusionis consuetæ methodo, infunditur; idq; hâc fini, ut morbus hominis ab aliquo sanguineæ massæ vitio prognatus, ab infuso bruti sanguine, ceu salutari remedii materiâ, tollatur ac propulsetur, cum ægroti levamine, & succedente prosperâ valetudine. Ita v. g. maniaci sanguinem impetuosum, æstuantem, & præ inordinatissimo motu vix intra venas suas continere se scientem, insanoq; quasi fermento actum, compescere, coercere ac mitiorem tepidioremq; reddere posse perhibent

bent ſanguinem aſini aut agni, animalium quippe lentorum, ſegnium ac demiſſorum; ut adeo contrariarum virium remedium, veræ medendi methodi lege, morbificæ cauſæ opponatur, ſicq; maniacus ad priſtinam mentis ſimul ac corporis ſanitatem inde redeat.

At enim verò, antequàm ad alios eosq; ſecundarios uſus procedamus, prius duplicem hunc jam adductum ſub incudis examen revocabimus. Transfuſionis ope quenquam cuiquam hominum vitam prolongaſſe, aut ulli ſeni juventutem reſtituiſſe, novasve ſaltem vires inſpiraſſe, nondum conſtat, nec ullibi legitur. Ovidii teſtimonium, quo is, hujus præſidii adhibitione, Æſonem ſenem rurſus adoleviſſe, cominiſcitur, nihil probat. Fabula eſt, non vera hiſtoria. Et Marſilius Ficinus, dum jubet, ut ſenes ex vena brachii adoleſcentis unam alteramve ſanguinis unciam, more hirudinum, ore ſugant, quo inde pro viribus juveneſcant, rem non ſolùm ab hodierna Sanguinis Transfuſione multùm diverſam, ſed & non minus perniciosam ac inimitabilem, ut infra declarabimus, probabili ſaltem ratione proponit, nulloq; experimento confirmat; quod ipſum etiam in Joh. Colle deſideramus, qui quoniam nec ipſe, nec alius quiſquam, poſt eum, ſpecioſum hunc ingenii luſum aliquo experimento poſteritati commendare auſus eſt; non inviti adducimur, ut credamus, medicinam hanc

nun-

nunquam à quoquam tanti æstimatam esse, ut censuerit, ejus beneficio senium hominis revera retardari, vitamq; extendi posse. Multa à Veteribus juxta ac Recentioribus acutè excogitata sunt, quæ, etiamsi dexterrimarum manuum operâ examinentur, tamē sperato nos successu frustrantur. Nempe enim sunt subtilia cerebri figmenta, de quibus Philosophis quidem acriter disputare, non item Medicis idem tentare, ac ipso opere experiri licet; inter quæ si & hoc Inventum recensere placuerit, per me integrum erit.

Nec nos præterea quicquam movent illa exempla, quibus refertur, factâ Sanguinis Transfusione ex hœdo, aut agno, aut cane in vetulum canem, itemq; ex quatuor arietibus in annosum equum, illis animalibus, quibus sanguis alienus infusus est, multum inde roboris accessisse, virium integritatem, ipsumq; propemodum juventutis florem rediisse, fugato quoque languore, & excussis magnam partem illis symptomatibus, quibuscum animalia illa ante remedii hujus usum conflictabantur. Præterquam enim quod tertiam hanc Transfusionis speciem paulò antè prorsus à nobis remotam voluerimus, utpote ad forum Medicum neutiquam pertinentem, tanta insuper inter Transfusionem Sanguinis, quæ fit è bruto in brutum; & inter illam, quæ è bruto in hominem fit, interredit differentia, quanta est inter animal irrationale ac rationale. Ibi inter utrumque sangui-

ſanguinem maxima conformitas; hîc verò ingens diſparitas. Ibi enim utrumque animal non niſi corporeâ ac materiali animâ, cujus præcipuum inſtrumentum ſanguis eſt, gaudet; hîc autem brutum à corporea, atque homo ab incorporea, præterea etiam inviſibili ac immortali animâ regitur; cujus ſanguis quoque non poteſt non aliter eſſe animatus, quàm bruti. Hoc ſi ita eſt, uti revera eſt, quæ, amabo! ex beluini & humani ſanguinis miſtura ſperanda ſalus, quæ ſymmetria, quæ contemperatio? nonne potius in homine inde metuenda pernicioſa alteratio, impetuoſa ebullitio, aliaq; ſexcenta exinde reſultantia damna? de quibus infra ſpeciatim; inexpiabilem animarum confuſionem, ut ſilentio hîc præteream. Nec dicam, quòd omnis ſubita mutatio periculoſa ſit, quali Sanguinis Transfuſionem non poteſt non ſequi. Unicâ, non aliquoties reiteratâ, Transfuſione ſenium cedere, ſtatuitur. Senectus autem quia non uno die invadit, ſed lento gradu ſuccedit, ideo etiam, ſi vel maximè fugari, aut ſaltem ſiſti poſſet, ſimul tamen & ſemel tolli nequiret; quemadmodum omnes chronici, aut illi morbi, qui lentè hominem atterunt, & diuturnitate magis, quàm acutione excruciant, ſubitò unicoq; remedio exturbari planè neſciunt, ſed continuatum remediorum uſum poſtulant; quicquid etiam inanes nonnulli Chymici oggerant, ignaræ plebi magnidicis verbis perſuadentes,

tes, posse se unicâ tantùm putatitiæ Panaceæ suæ dosi, ceu unico ictu, chronicum etiam quemvis morbum exscindere ac prosternere; at quibus ego æquè difficulter credo, licèt per omnes Deos Deasq; jurent ac dejerent.

Quid? quòd ausim dicere, humanæ vitæ prolongationem non multo medicamentorum usu, multò minus generosiorum præsidiorum administratione, sed potissimùm accuratâ Diætæ, & sub ea comprehensarum sex à Medicis sic dictarum Non-naturalium rerum observatione, impetrari. Hac enim, cæteris rectè se habentibus, flammæ vitalis perennationem, nativiq; temperamenti vigorem, à quo longævitas præcipuè dependet, sartum tectum servare omnium tutissimè licet. Sanitatem conservare, est à morbo tueri & vitam prolongare. Conservatur autem sanitas similibus, quæ diæta suppeditat; non contrariis, quo nomine medicamenta veniunt. Et sic qui sanitatem suam conservat, à morbo immunem se præstat, omniq; alterantium medicamentorum, aliorumve præsidiorum fortiorum apparatu carere potest. Ergo Sanguinis è bruto in hominem Transfusio, ceu extremum remedium, meâ opinione, hominis vitam non prolongat.

Anne verò aliquos morbos curare potest? Morbum curare, non prorsus idem propriè est, quod vitam prolongare, licèt aliquo sensu pro uno eodemq; accipi possit. Vitæ enim

pro-

prolongatio etiam ſine morbi curatione contingere poteſt. Hinc duo nata nobis ſunt membra, quorum primum jam discusſimus. Reliquum eſt, ut nunc quoque in alterum inquiramus. Hariolamur autem, neminem fore, qui pro aliis exturbandis p.n. affectibus Sanguinis Transfuſionem cuipiam hominum adminiſtrare audeat, niſi illi ſint graviores, penè deſperati, & tales, de quibus conſtat, eos quibuscunque aliis in vulgus notis præſidiis domari non posſe, vel plerorumque, ſi non omnium, vim jam eluſiſſe. Nonne enim is cum ratione inſaniret, qui morbum levem, nec adeo curatu difficilem inſolito, ancipite, & periculoſo, multisq; ſuſpecto præſidio antè expugnare conaretur, quàm communia præmiſisſet. Aut quæ hæc temeritas eſſet, extremum principio ſtatim illi morbo opponere remedium, quem mitia etiam medicamenta tollere poſſent? Omnia certè prius experiri decet, quàm ad extremum perveniatur remedium. Per mitia quod fieri poteſt, non debet fieri per vehementia. Ferrum & ignis id demum ſanare debet, quod medicamentum non poteſt. Deinde neceſſe eſſe credimus, ut ægrotus ille, in quem bruti alicujus ſanguinem transfundere animus eſt, viſcera habeat εὐσπλαγχνα, & conſtantium adhuc, nec jam dum nimiùm exhauſtarum ſit virium, ne vel in ipſa Operatione deficiat, vel ſub ea ceu innocens victima cadat.

His in antecessum fundamenti loco positis hypothesibus, ordine jam recensere juvabit illos morbus atque symptomata, pro quibus depellendis Sanguinis Transfusio vel vulgò commendari solet, vel jam ipso opere ab uno alterove adhibita est, ut constet, quid hoc ab experientia petitum tantiq; æstimatum ponderis habeat argumentum.

Corruptæ mentis homini, duplici vice, aliquot vitulini sanguinis unciæ in brachii venam derivatæ sunt, & quidem, postquam ei multò plus proprii sanguinis ex eadem vena, pro consuetâ Artificii methodo, detractum esset; unde factum, ut homo ille, superatis maximam partem gravibus symptomatibus ex Operatione hac ortis, intemperie nempe calidâ, animi deliquio, acerbo renum dolore, vomitu, alvi fluxu, lassitudine, nigræ urinæ frequente excretione, nariumq; hæmorrhagiâ, post tertium diem non modò meliùs habere, sed & ad saniorem mentem rediisse visus fuerit. Sed quid porro contigit? Exacto bimestri spatio febris misellum corripuit, & è medio sustulit, vel, ut alii suspicantur, subdolè propinatum venenum enecavit. Quare decernere non licet, Transfusine Sanguinis culpâ, an aliâ fatorum inclementiâ obierit. Interea tamen, quicquid hujus sit, certum est, experimentum hoc tanti non esse momenti, ut quicquam eo probari possit, quod ad Transfusionis sanguinis stabilimen faciat. Etiamsi enim concesserim,

ipsum

ipſum transfuſum vitulinum ſanguinem homini vitam non eripuiſſe, tamen nullus dubito, aſſeverare, omnia enumerata ſymptomata inde unicè pullulaſſe, tantaque fuiſſe, ut necem ei inferre facilè potuiſſent. Quis autem ab illa Operatione non abhorreat, quam tanta ſymptomatum enormitas ſequi ſolet, cum vitæ etiam extremo diſcrimine ſtipatorum?

Enimverò ſi quisquam mortalium amentiam ſive fatuitatem, mentisve ſtupiditatem humanâ arte tutò in homine eluere ſciret, eò majorem is ab humano genere iniret gratiam, quò ipſa miſerabilius malum eſt. At verò ſi idem amenti mentis ſanitatem reſtituere ſatagens, eam ſymptomatum ſyndromen curatione ſuâ acceleraret, quæ ipſam internecionem minitarentur, nonne contrà eò ſeveriùs increpandus eſſet, quò gravius peccatum eſt, hominem in periculoſum morbum, mortisq; periculum, temerario auſu, præcipitare? vel; nonne ſatius foret, ab illo præſidio penitus abſtinere, à quo hæc metuenda ſunt?

Inſuper quæri hîc poſſet, an huic mente capto fatuitas nativa ſive connata fuerit; an verò ex morbo, vel aliâ quâpiam cauſâ ei demum acceſſerit? Illud ſi dixerint, nihil agent ſuâ ſanguinis Transfuſione. Quemadmodum enim naturæ vitia Ars corrigere neſcit, ita etiam fatuitatis idealem à naturâ impreſſum characterem nec ulla medicina,

nec bruti alicujus transfusus sanguis obliterare atque delere poterit. Tota sanguinis massa immutanda, totaque hominis fabrica in aliam formam cogenda esset, ut alia quoque eaq; sanior resultet mentis bonitas; sed quod mihi æque impossibile videtur, ac impossibile est, dealbare corvum. Quod si verò ex morbo & post nativitatem alicunde ortum duxerit rationis depravatio, tunc sublato illo, ceu causâ, tolletur & hæc, ceu effectus. Ubi autem morbus, à quo rationis depravatio dependet, solicitè excogitatis, & dextrè adhibitis ordinariis præsidiis, ac selectis remediorum formulis curari nequiverit, ibi certè nec beluæ transfusus sanguis multum auxilii feret. Alteratione potissimùm opus est, quam si consueta remedia præstare nescient, sanè nec bruti sanguis præstabit, quippe qui ipse non aliam, quàm medicamenti alterantis vicem in hâc Operatione sustinere debet. Jam verò quis dubitabit, dari medicamenta, quæ alterandi virtute brutorum sanguinem longè superent? Animationem enim brutorum sanguinis in hominem transfusi nemo desiderabit, veritus, ne anima bruti per sanguinem in homine similes actiones edat, quas edidit in bruto.

Nec inferre licet, præstò esse rerum testimonia, quibus luculenter probari possit, vitulinum sanguinem in hominem amentem transfusum sanam ei mentem restituisse. Unum enim hoc duntaxat exemplum est, quod

quod nondum sufficit. Multorum exemplorum inductio requiritur. Ad hæc quis scit, annon post bimestre spatium, quo integræ mentis usu polluisse vesanus ille visus est, pristina fatuitas, si longiùs produxisset vitam, rediisset? Taceo, quòd adhuc sub judice lis sit, an rationis redintegratio novo hoc præsidio revera ei contigerit? Cur enim, si ea reverâ inde contigit, de Transfusione tertiùm reiterandâ cogitatum est? Quid attinet, repetere præsidium, si prius fecit, quod debuit? Quid, si sanior tantùm visus, re autem verâ æquè stultus homo ille fuisset, ac fuit olim? Certum est, quòd, uti acutissimus ille ingeniorum scrutator, Barclajus, effert, plerique mortalium id facilè credant, quod anxiè sperant.

Alterum experimentum in juvene XVI. circiter annnos nato factum est, qui, cùm præter Lethargum aliis quoque gravissimis symptomatibus, ut, convulsionibus, vomitu, alviq; continuo fluxu, pancreatis item induratione, & gangrænosâ intestinorum corruptione detentus, atque loquelâ, motuq; & sensu penè omni privatus, adeoq; efflictim excrutiatus, & ab aliis Medicis pro desperato habitus, extremo Transfusionis præsidio admisso, non nisi octo agnini sanguinis uncias recepisset, ecce! haud morâ non solùm convulsiones evanuêre, vomitus cessavit, ventrisque profluvium exaruit; sed & ipse æger, adscito novo virium robore, a d-

 stantes

ſtantes diverſis linguis allocutus, & multò meliùs, quàm antè habere viſus eſt. Efficax profectò argumentum! quo beluini ſanguinis in hominem Transfuſionis authoritas aſſeratur. In deploratis enim affectibus, qualibus ipſe Lethargicus hic laboravit, iisq; qui communia remedia maximam partem jam eluſerunt, potiſſimùm adhibendam eam eſſe, ſi unquam adhibenda, paulò ſuprà ſuppoſuimus. Verùm enim verò narrationis clauſula iterum claudicat, quâ ſcilicet ſignificatur, miſellum hunc juvenem, alvi profluvio poſt breve XXIV. horarum ſpatium reverſo, pauloq; antè nonnihil remiſſis, jam verò iterum auctis ſymptomatibus, occubuiſſe, vitamq; cum morte commutaſſe. Quare nec hoc experimentum multum in receſſu habet, nec probat, beluinum in hominem traductum ſanguinem contra Lethargum quicquam valere. Nam etſi, factâ Transfuſione, Lethargus illicò diſcuſſus, (fortasſis magis illatâ per Operationem conſternatione, quam novi præſidii ope) & quæ eum comitata ſunt ſymptomata, extemplò mitigata fuerint, nondum tamen biduo ſuperato fortiori impetu rediêre, ipſamq; internecionem accelerarunt. Quodnam verò hoc remedium, quod vix ad unum diem fraudulenter dolorem levat, ut poſtea omnes vitæ dies homini truculenter ſuffuretur? Dubito, an quisquam Chriſtianorum ſit, qui tale ſibi optet remedium, ne dum pecuniâ redimat.

Haud

Haud quidem difficulter largior, Juvenem hunc tantâ lethalium symptomatum catervâ impetitum, etiamsi sine Sanguinis Transfusione fuisset, tamen non potuisse evadere; attamen contrà viciffim persuasissimum mihi habeo, agninum sanguinem neminem hominem à Lethargo aliove soporoso affectu liberare posse, etsi is tantis tamq; diris symptomatibus non sit stipatus. Lethargus cæteriq; soporosi affectus causam agnoscunt spirituum animalium in cerebro genitorum sufflamen, motumq; impeditum, aut congelationem fixationemve; quo fit, ut homo subinde dormitúriat, vel in somnum propendeat; unde etiam illa remedia optima hîc habentur, quæ spirituum animalium activitatem promovere, eos excitare, mobiliores reddere, & exaltare apta nata sunt; quo nomine pleraque eorum se commendant, quæ tenuium ac spirituosarum sunt partium, viriumq; penetrantium, sive illa externè, sive internè adhibeantur. Jam ipsi Transfusionis Patroni judicent, num huic indicationi satisfacere possit agninus in Lethargicum derivatus sanguis? Nonne omnis Sanguinis Transfusio primariò tantùm in mutatione & correctione sanguinis illius hominis, in quem bruti alicujus sanguis transfunditur, occupata est? Nonne sanguis bruti hâc tantùm fini in infirmum hominem traducitur, ut, quemadmodum immediatè sanguini hominis affunditur, ita etiam immediatè eum

 alteret

alteret ac emendet? In ſpiritum autem animalem non niſi per ſanguinem, & lentisſimo demum circuitu agit; unde perſuaderi nondum patior, ut credam, illud levamen, quod Lethargicus ille mox poſt adminiſtratam Transfuſionis Operationem ex transfuſo agnino ſanguine ſenſiſſe viſus eſt, inde reverâ ei contigiſſe; quandoquidem, ut à beluino ſanguine in venas hominis derivato ſpiritus animales alterentur ſimul ac corrigantur, multò longius temporis ſpatium requiritur, quàm quo hoc Lethargici levamentum ab agnino transfuſo ſanguine eveniſſe dicitur. Cur non, qui vult, ut immediatè ac ſubitò ſpiritus animales minus rectè ſe habentes emendentur, artem excogitat, quâ in cerebrum alicujus liquoris infuſio immediatè fieri poſſit, ut ſpiritus animales momento quaſi inde refocillentur. Sed quod iterum fortaſſis non minus ridiculum videbitur.

Imò etiamſi ponerem, Sanguinis Transfuſionem hunc Juvenem à Lethargo liberasſe, nondum tamen ſequitur, propterea & nobis idem imitari licere, aut in hac minimùm Lethargi ſpecie Transfuſionem locum habere. Non idem nobis imitari licet, quia funeſtus Operationis eventus, ipſeq; Juvenis obitus in ſimili morbo idem tentare nobis diſſuadet. Nec in hac ſingulari tantùm Lethargi ſpecie locum habet Sanguinis Transfuſio, etſi ortum duxerit à largiori ſangui-

nis profuſione, cui maximè mederi potuiſſe alîus ſanguinis reſtitutionem fortaſſis videri poſſit. Nam quia breviſſimas has inducias, quas Juvenis infirmus à Lethargo habuit, mox alia, eaq; lethalia exceperunt ſymptomata, ideo nec in hac Lethargi ſpecie, nec in alia quacunq;, ex rationibus paulò ſuprà adductis, Sanguinis è bruto in hominem Transfuſio tutò adhiberi poſſe videtur.

In Phthiſicum unum, alterumq; febre quotidianâ, & adhuc alium tertianâ duplici, affectum, è trium vervecum arteriis ſanguinem, Transfuſoriæ Artis lege, elutriavit Joan. Guilielm. Riva, ſatis peritus aliàs apud Romanos Chirurgus, idq; eâ felicitate, ſi Diis placet, ut bini priores paulò pòſt extremum vitæ diem morte confecerint, ſolusq; poſtremus incolumis evaſerit; veluti ex Teſtimonio anno 1667. Menſ. Decembr. typis excuſo, præcipuorumq; Medicinæ Profesſorum ſubſcriptione confirmato, & ea propter ipſi dato videre eſt. Hoc Teſtimonium cùm primùm in Italia legiſſem, tantum non riſum mihi excuſſit. Ecquod enim hoc pro Transfuſione Sanguinis Teſtimonium? Tale ego contra eam producere non erubeſcerem. Vix enim potentiori argumento uti poſſem, quàm ſi oſtenderem, infauſto ſucceſſu celebratam eam eſſe. Duo conciderunt, unusq; ſolus eluctatus eſt, isq; ipſe, quem mitiora etiam remedia facili procul dubio negotio ſalvare potuiſſent. Nonne hoc eſt experi-

menta per mortes facere? Phthificus obiit: morbine vehementiâ, an Transfusi sanguinis culpâ, in allegato Testimonio conceptis quidem verbis non exprimitur; non tamen vana suspicio est, Operationem hanc ægrotantis vires jam tum morbi vi valde attritas adeo exhausisse, ut non potuerit non animæ & corporis separatio citiùs contingere, quàm si Operatio hæc omissa fuisset; id quod ut faciliùs credam, inter cætera id quoque maximè facit, quòd in Testimonio legatur, Phthisicum paulò post Transfusionem Sanguinis mortuum esse. Equidem phthisis vera atque perfecta talis morbus est, quem nemo facilè curabit; unde ambabus manibus concedo, solam Sanguinis Transfusionem suo gladio Phthisicum illum non quidem jugulasse, interim tamen certò credo; illam misero à statuo vitæ termino aliquot dies abripuisse, eique compendiosiorem ad Elysios campos viam pandisse. Præterea ut phthisis ob has potissimùm rationes celebratissimis etiam remediis haud rarò cedere recusat, primò, quia medicaminum vires integræ ad pulmones non descendunt, sed antequam eo pertingant, maximam partem evanescunt; & deinde quia exulcerati pulmones continuè moventur, hocq; motu à consolidatione impediuntur; ita ob easdem rationes bruti alicujus sanguis in phthisicum frustra transfundetur, vitiumq; in pulmonibus radicaliter hærens eluere nesciet.

Febris

Febris quotidiana non quidem curatu adeo facilis, rarò tamen impossibilis, multò minùs prorsus lethalis est. Iccirco non videtur, opus esse, Sanguinis Transfusionem, ceu præsidium anceps, extremum & periculo plenissimum, pro arcendâ hujus farinæ febre, in usum adsciscere, quippe quam mitioribus etiam, non nudius demum tertius inventis, sed ex vulgato triplici fonte haustis, debitoq; ordine ac modo usurpatis, abigere licet. Nec dubium est, hunc ipsum hominem à quotidiana febre, quâ laboravit, multò jucundiùs, citiùsq; liberari potuisse, nisi Transfusio Sanguinis intempestivè & perperam instituta omnem curationis spem ita ademisset, ut postea non ampliùs de eo curando, sed tempori sepeliendo, quò Operationis hujus Authoris errores terra tegat, cogitare necesse fuerit. Unde quid commodi novum hoc Inventum hîc præstiterit, quidve pro eo defendendo hoc exemplum valeat, ego certè non video.

Tantò ergo plus tertium valebit exemplum, quod de febre tertianâ duplici Transfusi vervecini Sanguinis ope curatâ attestatur. In hoc inquiremus breviter. Tertiana duplex febris rarò adeo periculosa est, ut continuatum huc facientium communium remediorum usum eludat, nec adeo chronica esse solet, ut Medicus ordinariæ curationis methodi pertæsus, hâc saltu quasi superatâ, mox ad insolita, ancipitia & extrema

præ-

præsidia transire debeat. Unde temeritatis notam non effugiet, quisquis febrem tertianam duplicem Sanguinis Transfusione solvere conatur; inq; eâ opinione sum, illum ipsum, qui eâ laboravit, æquè feliciter convalescere potuisse, etiamsi Sanguinis Transfusio non fuisset administrata. Quid ergo eâ opus fuit? aut quid eâ præstitum? Sic dici non potest: Transfusionis Sanguinis beneficio curatum esse febre tertianâ duplici afflictum; quandoquidem etiam sine ea ad pristinum sanitatis statum dubio procul reduci potuisset. Et quis fidem suam interponere audebit, eandem morbi speciem postea non rediisse? nec aliud, idq; fortassis longè majus, incommodum, si non paulò pòst, tractu tamen temporis, successisse? Nam etiamsi nulla hujus in citato Testimonio fiat mentio, quid tamen obstat, quo minus suspicemur, post datum demum Testimonium damna, Transfusionis Operationem excipere plerunque solita, hîc quoque secuta esse? Riva certè, non dubito, quin omni studio ea reticuerit, &, ne in Testimonio nominentur, aut publica fiant, solicitè præcaverit, quò è tribus factis experimentis, unico minimùm felici, si non aliud, saltem hoc probatum ire posset, celebratam à se triplicem Transfusionem uni non nocuisse.

Præter has jam enarratas rationes, etiam ob hanc causam neque in hac, neque in illa, neque in ulla alia quacunque febre, si dicendum,

dum, quod res eſt, convenire videtur Sanguinis Transfuſio. Sicut enim unica vini boni menſura vini fermentantis & ad corruptionem vergentis amphoram placare, corrigere, inque integrum reſtituere nequit; ita nec beluini ſanguinis aliquot unciæ ſanguineam hominis maſſam præter naturaliter effervescentem (eſt enim febris omnis in genere nihil aliud, quàm p. n. ſanguinis effervescentia) demulcere, & ad naturalem ſtatum reducere valebunt. Non deſunt nobis alterantia medicamenta, quibus hanc ſanguinis effervescentiam compeſcere licet, quam, tantum abeſt, ut bruti alicujus in hominis venas derivatus adhuc calens ſanguis mitigare ac coercere poſſe, ut potius eam multò magis aucturus, &, ceu novum fermentum, vehementiùs demum excitaturus videatur. Habemus etiam mitiora ſimul ac tutiora Chirurgica præſidia, quibus ſanguinis imminutionem, quâ in febribus ſæpe ſepiùs, additione autem nunquam, opus eſt, impetrare poſſumus. Et in malignis febribus omne penè curationis ferunt punctum alexipharmaca, inter quæ vituli, agni, alîusve bruti ſanguinem nemo ſanus referre audebit. Ut adeo nullâ prorſus ratione Sanguinis Transfuſio in febribus locum habere videatur.

Tandem quod illam Transfuſionem attinet, quâ ſanguis agninus in venas duorum virorum integrâ ſanitate gaviſſorum, Artificii

ficii hujus lege, traductus eſt, non majoris illa momenti habetur, quàm illa, quæ à quibusdam à bruto in brutum facta eſt; quam quemadmodum ideo à noſtra Andromache removimus, quia Medicus non verſatur circa brutum, ſed circa hominem vel ſanitate præditum, vel morbis obnoxium, (qui unicè Medicinæ ſubjectum conſtituit;) ita illam Transfuſionis ſpeciem, quâ bruti ſanguis in optimè ſe habentem, deq; nullâ præter naturali affectione conquerentem derivatur, hanc ob cauſam hîc loci non attendimus, quia non fit propter finem, quem hac Operatione ii conſequi aliàs ſtuduerunt, qui eam primitùs invenerunt. Finis autem novi hujus Inventi præcipuus eſt ſanitatis reſtitutio, ſeu morbi curatio, quâ ubi opus non eſt, fruſtra quoque ipſum præſidium adminiſtratur. Itaque hæc Sanguinis Transfuſio curioſitatis tantùm gratiâ celebrata eſt, nullumq; habuit uſum, niſi fortaſſis illum, ut inde ejus poſſibilitas duntaxat evinceretur. Verùm quid juvat, ſpecioſis aliquot experimentis demonſtraſſe, quàm facili negotio hæc, vel illa res perfici poſſit, ſi ejus interea uſus opere ipſo nullus prorſus deprehendatur?

Nolo ſcrupuloſiùs controverti, an poſſibilis ſit, nec ne, Transfuſionis Operatio? Largiar, ſine magno apparatu, ſineqúe multo labore fieri eam poſſe, tantisque difficultatibus non obnoxiam eſſe, ut eas propter intermitti debeat, maximè, ſi is, qui Opus moli-

tur,

tur, manuum dexteritate polleat, &, antequam eam aggrediatur, circumſpectâ operâ omnia obſtacula, haud raro intervenire ſolita, declinare ſtuduerit. (Ut ut aliàs non ignotum ſit, quoties in hac ſimiliq; Arte probè etiam verſati nunc ab hac, nunc ab illa remorâ præpediti medio in opere abrumpere coacti fuerint.) Aſt hoc nondum ſatis eſt; etiam prodeſſe debet novum Inventum, ſuumq; habere uſum, quo ſine ne hili quidem illud æſtimandum. His addo, non mirum eſſe, quod duobus robuſtis his Viris ex transfuſo agnino ſanguine nullum damnum enatum fuerit; id quod non niſi inde dubio procul factum, quia hominum illorum optimâ valetudine præditorum flamma vitalis tam potens atque activa fuit, ut agninum, ceu minus potentem, & fortaſſis etiam parciùs transfuſum ſanguinem facilè ſubjugare, in ſui naturam ſine ingenti diſcrimine convertere, infringere, & prohibere potuerit, ne in humanis illis corporibus ſe explicaret, inq; ea ſeveriùs ageret. Ut proinde ex hoc experimento nondum inferre liceat, Sanguinis Transfuſionem omni prorſus vacare periculo. Nam quemadmodum noxium aliquod pharmacum ab hoc vel illo ſine notabili noxa quandoque ſumi ſolet, quod tamen, ſi ab alio imbecillioris naturæ malèq; diſpoſito ingurgitaretur, non leve etiam vitæ diſcrimen accelerare ei poſſet; ſic fieri potuit, ut hi duo in venas ſuas

deri-

derivatum agnimum sanguinem innoxiè quidem tulerint, quem tamen alius quispiam, & potissimùm morbo aliquo jam affectus, sine detrimento perferre non potuisset. Iccirco quia nullum commodum in hoc bonâ valetudine præditorum hominum par ex Transfuso beluino sanguine redundavit, ideo nec hoc experimento, etiamsi non infelici, concluditur id, quod concludendum meritò esset.

Atque hæc illa sunt experimenta, quæ circa Transfusionem Sanguinis è bruto in hominem, pro debellandis variis morbis, celebratam facta hinc inde literis consignata hactenus reperire licuit; à quorum instituto usque huc examine nunc delabimur ad illorum præternaturalium corporis humani affectuum ventilationem, qui, ejusdem Artificii ope, non minùs tolli posse, à quibusdam dicuntur.

Primùm experietur examen Lepra & Elephantiasis. Hæc ubi hominem adoriri demum cœpit, dubiæ est curationis, & vix ac ne vix quidem in vulgus notis remediis extirpari potest; & illa, quæ altiores jam egit radices, omnium Medicorum consensu, prorsus immedicabilis habetur. Tantò igitur ardentiùs optandum esset, ut novum excogitaretur præsidium, quo exitialis hæc labes averruncari queat; id quod Sanguinis Transfusionem præstare posse nonnulli haud inglorii aliàs Medici arbitrantur. Verùm

rùm enim verò si & hîc dicere licet, quod libet, non minus vereor, ne in hoc quoque casu nova hæc Operatio inutilis simul ac intuta futura sit. Siquidem Lepra cum peculiari, specificâ, suiq; generis malignitate conjuncta est, quâ tota sanguinis massa, omniaq; propemodum viscera, cumprimis verò nutritioni dicata, imbuuntur. Hanc itaque prævaricationem corrigere nòn licet, nisi totus totius sanguineæ massæ præcipuorumque viscerum vitiosus habitus immutetur ac emendetur; sed quod uti vix ullius medicamenti continua etiam atque diligens adhibitio efficere potest; ita multò minùs potest unica bruti alicujus sanguinis in venam Leprosi facta infusio. Nam etiamsi plures unciæ, imò & libræ, beluini sanguinis transfunderentur, tamen is à Leprosi corrupto sanguine, cum quo permisceretur, in sui naturam mox verteretur, similiterq; corrumperetur; haud multò aliter, ac acescere solet quicquid in dolium, quod acidum vinum prius continuit, infunditur. Nempe enim

quo semel est imbuta recens, servabit odorem,
testa, diu ——— ——— ——— ———

Hoc si ita est, næ! irritus erit Omnis labor illius, qui hanc Operationem, pro curandâ Leprâ, suscepit. At si omnis omnino sanguis ex venis Leprosi educeretur, eo consilio, ut tantundem beluini sanguinis contrà substitui posset, atque adeo Leprosus nullo

alio, quàm beluino ſanguine noviter infuſo deinceps gauderet, nonne verendum eſſet, ne Leproſus deficeret atque interiret, antequam bruti ſanguinem loco ſui emiſſi recepiſſet, ſibiq; ac ſuæ naturæ proprium reddidiſſet? Sanguinem enim Leproſi omnem mittere, ac tantundem bruti alicujus transfundere, ſimul & ſemel unâq; operâ fieri nequit; unde medio temporis ſpatio impoſſibile videtur, Leproſum ita reficere, ne animam unà cum ſanguine ſuo amittat. Taceo alia pericula hîc metuenda, etiamſi emiſſio humani, & infuſio beluini ſanguinis momentaneo quaſi eodemq; temporis articulo vel maxime fieri poſſet, quorum mentionem jam ſupra aliquantò fecimus, & faciemus ſuo loco explicatiùs infrà. Taceo etiam, quòd, ut Lepra non citò, ſed lentè fit, ſic quoque non cito, quale Transfuſio eſt, ſed lentè operantibus remediis continuatoq; eorum uſu aſſultanda ſit, aliàs plerunque inexpugnabilis.

Idem ferè judicium ferendum de Lue Venerea, quam itidem Transfuſoriæ Artis ope nonnulli ejus Patroni curare audent. At enim verò præter jam adducta, hucq; contra hunc pro dictæ Luis curatione ſperatum uſum facientia argumenta, hoc quoque non aſpernandum videtur, quòd Morbus Gallicus recens adhuc atque liber à gravioribus ſymptomatibus non niſi appropriata ſua & multo uſu experta remedia, non autem brutorum

torum ſanguinem, qui tali virtute anti-venereâ minimè gaudet, poſtulet; horum quippe vi haud adeo difficulter pellendus. Inveteratus verò, & qui jam varias exulcerationes, gummata, tumores, exoſtoſes, & , neſcio quos alios externos peperit affectus, eam curationis rationem exigit, quæ ad dicta ſymptomata potiſſimùm dirigatur, non tam internis, quàm externis localibus remediis oppugnanda; quando morbum ipſum canonicis etiam remediis, ne dum incognito hoc, atque in his ſimilibusq; caſibus dubio præſidio funditùs eradicare non licet.

Sic nec in Cancro, nec in Eryſipelate, nec in aliis Ulceribus (nam & adverſus hæc novum hoc commendatur Inventum) ex eadem ratione locum habere poteſt beluini Sanguinis in hominem Transfuſio. Externis ſive localibus potiſſimùm opus hîc eſt, nullis autem internis, exceptis quibusdam purificantibus in Cancro & Ulceribus malignis, nec non calorem hepatis ſanguinisq; temperantibus, & diaphoreſin blandè promoventibus in Erypelate. Atqui Transfuſionem ego quidem ad interna, quàm externa præſidia referre mallem, quia ſanguis beluinus, qui in hominem derivatur, ab eo intra corpus aſſumitur, inq; hominis ſanguinem intra venas atque arterias fluctuantem unicè agere dicitur. Quis ergo non videt, vanos illos quoque eſſe, qui Ulceribus nominatis Sanguinis Transfuſionem mederi poſſe

jactitant? Alias rationes, quas aliunde huc trahere possem, ejusdem medicinæ usum in his atque similibus externis affectibus non minus dissuadentes, silentio ut prætercam.

In Variolis, nec non Pleuritide, impense mirari subit, quosdam eo vecordiæ pervenisse, ut seriò existimarint, Transfusionem Sanguinis commodè administrari posse. Illæ tenellam ætatem plerunque adoriuntur, quæ uti Venæsectionem ob nimiam inde metuendam virium solutionem non facilè tolerat; ita multò minùs hanc, ceu vehementiorem Operationem tolerabit, cui nimirum ferendæ prorsus impar videtur, maximè, Variolis infestata; quibus apparentibus sanguinis missionem etiam in adultis, ne dum in pueris nunquam non satiùs est intermittere, quàm celebrare; ut ut sanguinem in iis ebullientem nonnihil compescere (compescere autem & Venæsectio aliàs solet) non postrema Medici sit cura. At sanguinem ex ebullitione in cute, Variolarum formâ, efflorescentem per additionem augere, vi contrariorum, nulla prorsus suadet indicatio. Auget autem Sanguis Transfusus, non imminuit, nec coercet efferveſcentem in homine sanguinem. Suâ proinde fluit sponte, consultiùs omnino esse, in Variolis, sive recentes adhuc sint, sive jam maturatæ, hactenus consuetis uti remediis, tritâq; incedere viâ, quàm ad novum hoc Artificium cum ancipitis eventus metu temerè properare,

perare, sicq; de corio hominis ludere.

In Pleuritide verò omnibusq; Inflammationibus internis Venæsectio non suadetur, sed plerunque imperatur. Jam ubi Venæsectio, atque adeo sanguinis imminutio locum habet, ibi ejus contrarium, id est, augmentatio sive sanguinis multiplicatio exulare utique debet. Quid autem aliud Transfusione intenditur, quàm vel augere, vel alterare sanguinem? Auctionis ergo ratione Sanguinis Transfusio in Pleuritide adhiberi nequit; & si alterare sanguinem animus fuerit, alterabunt eum longè potentiùs medicamenta à Practicis hinc inde commendata, jamq; experta, quàm sanguis bruti alicujus adhuc calens in venam Pleuritici traductus.

Contrà in insignibus Hæmorrhagiis sive narium, sive uteri, sive vulnerum, sive demum aliis quibuscunq;, non tam alteratione, quàm citissimâ sanguinis restitutione opus est; unde in iis ad Transfusionem Sanguinis, ceu ad sacram anchoram, omnibus aliis incassum tentatis remediis, quidam ejus Vindices currere præcipiunt, quò in profusi & adhuc effluentis sanguinis vicem, sine morâ, alius, si non hominis, saltem bruti alicujus sanguis surrogetur, ne cum ultimo sanguinis flumine ipsa quoque anima tandem secedat. Hîc duplicem imprimis curationis scopum præfixum habere sibi debet rationalis Medicus, ut scilicet vel primò sangui-

nem acrem, ichorosum, tenuem, tumultuantem, ac inordinatè effervescentem, (à quo pleræque hæmorrhagiæ ortum trahunt,) convenientibus medicamentis edulcoret, incrasset, demulceat atque figat, sive præcipitet; vel secundò subito auxilio sanguinem resarciat, ut vires jam labascentes conserventur. Primo scopo Transfusionis Sanguinis ope satisfieri posse, nemo facilè affirmare audebit. Alter autem scopus vix feliciùs quàm hâc ipsâ noviter inventâ Operatione impetrari posse videtur, quâ scilicet bruti alicujus sanguis in venas hominis hæmorrhagiam patientis immediatè & sine longâ morâ derivetur. Sed videtur. Ne enim quid dicam de novo tumultu, novoq; immoderatiori motu, quem bruti sanguis humano sanguini noviter admixtus, ceu heterogeneus, in homine adhuc magis sine dubio cieret; quid, quæso, prodesset, licèt alius sanguis loco ejus, qui jam ex venis hominis emanavit, infunderetur, si ipse quoque beluinus sanguis recens demum hæmorrhagiâ laboranti infusus per easdem sive narium, sive uteri, sive vulneris alicujus dehiscentes venas efflueret? quod futurum certò crederem, nisi illa rimula, ex qua humanus sanguis prorupit, prius obstiparetur. At si obstipare eam jam potes, cur non obstipasti antè, quàm tantum sanguinis ex vena hominis exivit, ut Transfusione Sanguinis supersedere potuisses? Quodsi verò nec jam

obstipare

obſtipare rimulam illam licet, effluet per eam, ut dixi, etiam is beluinus cruor, qui recens demum infuſus eſt, ſicq; rediret inanis labor actus in orbem. Dicis: non prius deveniendum eſſe ad Transfuſionis præſidium, quàm plurima pars ſanguinis per Hæmorrhagiam jam profuſa videbitur, tuncq; demum convenire, beluinum ſanguinem ſubſtituere, ceu talem, qui craſſior ſit, quàm fuit ille humanus jam jam egreſſus, adeoq; tenuia ſanguinis vaſcula tam facilè penetrare, exedere, reſerare atque hæmorrhagiam excitare nequeat. Verùm ut taceam, eſſe, qui non ſine ratione adhuc dubitant, utrum brutorum ſanguis craſſior ſit, quàm hominum? (quam tamen litem nunc meam facere nolo) omnium minimè administranda videtur nova hæc Operatio, quando plurimam ſanguinis ſui partem per Hæmorrhagiam homo jam amiſit, eò quòd tunc homo viribus admodum exhauſtus animoq; ſubinde linquere ſolitus, tam vehementem Operationem non ampliùs ſuſtenturus ſit; aut, ſi vel maximè ſuſtineret, verendum eſſet, ne obbruteſceret, ob rationes infrà prolixiùs deducendas.

Rabies ſeu Hydrophobia, quâ homo correptus ob venenatum à rabido animali, ſive morſu, ſive ſalivâ, ipſi illatum atque impreſſum fermentum, incenſo quaſi ſanguine & ſpiritibus, peculiari ac ſpecifico modo delirat, duplicem imprimis curandi rationem

postulare videtur; nimirum, vel, ut à rabido bruto in hominem transmissum malignum fermentum mox extrahatur, aut specificorum diaphoreticorum beneficio per ambitum corporis expellatur; vel ut idem appropriatis alterantibus funditùs subigatur, enecetur, suffocetur quasi, ac annihiletur. Neutrum Transfusio præstat. Non illud, quia non id agit, ut extrahat aliquid, aut eliminet è corpore humano, sed potiùs addit seu apponit aliquid, nempe sanguinem beluinum. Nec alterando subigit rabidum in homine vigens fermentum. Non enim tanta beluino sanguini alterandi vis inest. Appropriatâ facultate pollere oportet ea medicamina, quæ hîc prodesse debent, qualem nullius certè bruti sanguis possidet; unde iterum vereor, ne oleum & operam perditurus, ne dicam, graviorem adhuc noxam rabido homini illaturus sit, qui bruti alicujus sanguinem, Transfusionis methodo, in eum derivare audebit. Confer, hucq; trahe quæ diximus jam supra hinc & hinc, præcipuè verò ad illud circa corruptæ mentis hominem factum experimentum.

Postremò ut colophonem huic Capiti imponamus, laudatur etiam hæc Sanguinis Transfusio contra truculentum illum morbum, qui communiter Epilepsia dicitur, quæ ut cæteris remediis rarò cedit; ita omnibus votis optandum esset, ut aliquando excogitaretur tutum præsidium, quod ei perdomandæ par

esse

esse possit. Sed quod toties veritus sum, id iterum atque iterum vereor, ne scilicet & hîc frustra sint, quicunque hoc nomine Sanguinis è bruto in hominem instituendam Transfusionem jactitant. Nondum hoc in casu factum ullum est felix experimentum circa hanc Operationem; nec suadet ratio, fieri posse, qualem paulò supra contra Lethargum & alibi jam dedimus, hîc suo modo applicandam. Ad hæc denuo repetimus, quod semel dixisse, non satis est: quod tot decantatissima ant-epileptica non possunt, id multò minùs poterit sanguis beluinus, ceu illis quoad alterandi, sanguinemq; aliquo modo peccantem corrigendi virtutem multò inferior, nullâq; ant-epilepticâ facultate pollens.

Paucis, ut plura complectar: Omnes affectus p. n. corporis humani, ad quos debellandos Transfusio Sanguinis hactenus facere credita est, vel sunt leviores, minùsq; periculosi, hoc est, cum tanto à statu suo naturali massæ sanguineæ recessu, & plerorumque viscerum corruptione nondum conjuncti; (& tunc consuetis jamq; notis & appropriatis remediis uti, quàm anceps hoc, periculo plenum, ac novum Præsidium in usum adsciscere, utique satius erit:) vel sunt graviores, admodum periculosi ac lethales, id est, cum totius massæ sanguineæ partiumq; principalium habituali dyscrasia ac corruptione sociati, atque tales, qui re-

liqua communia, selectissima tamen & methodicè adhibita pleraque remedia jam eluserunt; quo in casu iterum inutilem deputarem Sanguinis Transfusionem, cùm quia viscera non ampliùs sunt εὐσπλαγχνα, (quod tamen necessariò requirimus) tum etiam quia flamma vitalis ferè tantummodò gliscit, hincq; natura à morbi vehementiâ jam antè adeo oppressa est, ut verendum sit, ne coadjuvare nescia, in ipsa Operatione succubitura, & infirmus, dum insuper vena ab integumentis suis liberatur, vel saltem, ut in Venæsectione fieri solet, ligatur, inciditur, & sanguinis portio extrahitur, præ dolore aliisq; inde metuendis symptomatibus adhuc in deterius ruiturus & fortassis etiam exspiraturus sit. Vel tandem medio quidem modo se habent morbi, sed ejus commatis sunt, ut à beluino sanguine emendari atque expelli nequaquam valeant; veluti jam suprà satis superq; ostensum puto.

CAP. IV.

Quatuor secundarii usus examinantur & rejiciuntur.

POstquam generalem sive primarium, eumq; duplicem Transfusionis Sanguinis usum, in vitæ prolongatione, & morborum curatione, consistentem usque huc ventilavimus, atque ceu inanem non adeo inanibus fortassis argumentis reprobavimus

vimus; reliquum nunc est, ut ad secundarios etiam usus descendamus, similiter visuri, quid hi in recessu, quantumq; ponderis habeant.

Nonnunquam fit, ut Ventriculus malè affectus cibum per os ingestum rectè concoquere, digerere, ejusq; puriorem partem in chylum convertere nequeat; quo fit, ut nec chylus, uti decet, in venas tenuibus intestinis adhærentes protrudatur, nec cum sanguine in Corde permisceatur; unde consequenter nec vigor corporis conservatur; nec ejus partes subinde depasci solitæ novo nutrimento, quod omnes desiderant, reficiuntur; quo in casu Transfusionem Sanguinis ejus Assertores mirificè extollunt, rati, ejus beneficio longè compendiosiori viâ bruti alicujus sanguineum ceu rectissimè coctum & optimæ notæ liquorem venæ ægrotantis immediatè instillari posset, adeo, ut Ventriculi intestinorumq; malè se habentium chylificandi officio ne quidem opus habeamus, maximè, cùm inter alimenta ore delibanda, nullum penè sit, quod cum puris probisq; portionibus non etiam impuras suas particulas foveat, Ventriculo intestinisq; incommodare solitas. Speciosissimè, per fidem! excogitatus & non contemnendus usus, si eum Transfusio Sanguinis belluini reverâ præstare posset.

Jam supra monuimus, hoc Præsidium, si unquam locum haberet, non nisi in extremis morbis

morbis habere posse. Illud itaque Ventriculi intestinorumq; vitium, quod fingitur, permagnum esse oportet, atque tale, de quo ne quidem spes reliqua est, fore, ut id mitioribus iisq; communibus remediis, sive internis, sive externis, emendari possit. Sit autem quodcunque sit.; sit aliis auxiliis prorsus indomabile; sit vulnus, ulcus, tumor, inflammatio, intemperies p. n. quæcunque, sit anorexia, sit vomitus continuus, deglutitio læsa, præfocatio, sit aliud gravius malum, quo Ventriculus intestinaq; ab officio suo penitus dejiciuntur, ita, ut appetitus inde omnino prosternatur, concoctio nulla fiat, digestio nulla. Hoc, inquam, ponam. Atqui si, Tu Transfusionem tali in casu, quo Ventriculus, intestinaq; munere suo fungi nesciunt, in usum adscisceres, hâc opinione, ut ejus beneficio æger beluino sanguine in ejus venas proximè infuso nihilominus nutriatur, ejusq; corpus sartum tectum conservetur, necesse esset, ut hanc Operationem quotidie ad minimum semel repeteres. Quemadmodum enim nos communiter bis in die cibum sumere solemus; sic toties quoque, vel certè semel singulis diebus sanguis bruti in hominem derivandus; siquidem hac Sanguinis Transfusione eundem consequi finem, propter quem Ventriculo quotidie cibum obtrudere consuescimus, idest, corpus nostrum reficere, simul ac nutrire, velimus. Etenim quamvis sat magnam sanguinis integerrimi

gerrimi quantitatem unâ vice infunderes, tamen, nî idem indies repeteres, nihil ageres; ratio in promptu eſt, nempe quia flamma vitalis ſive calidum nativum nunquam otiatur, ſed continuè depaſcit & abſumit, vel, ut Hippocratis verbis efferam, quia idem calor interficit, qui corpora produxit; hincq; brevi temporis ſpatio conſumeret omnem illam ſanguinis quantitatem, quam primùm infuderas. Quare his ſic ſe habentibus, Transfuſio vel inutilis, & pro alimento jam jam cocto, id eſt, beluino jam præparato ſanguine in venam infirmi ſufficienter derivando impar eſt, vel crebriùs & penè indies iterari debet. At verò ſi toties eam repeteres, quoties homo per os alimentum aſſumere amat, nonne crudeliùs hoc tuo remedio hominem torqueres, quàm vel acerbiſſimus morbus excruciare eum poſſet?

Accedit, quòd beluinus ſanguis hominis venæ infuſus ejus partibus nutriendis prorſus inidoneus videatur, idq; præcipuè cùm ob diverſitatem, quæ inter flammam vitalem ſanguini adhærentem hominis atque bruti intercedit, tum etiam quia omne id, quod animali in nutrimentum cedere debet, neceſſariò prius in ejus Ventriculo inteſtinisq; in chylum excoqui, digeri, ac ita præparari debere videatur, ut ejus partibus nutriendis hac, quam interea nectit, morâ, familiarius reddatur, ne, ſi ſecus fieret, disconveniens & ſubita, quæ plerunque periculoſa eſt, inde

oriatur

oriatur mutatio. Quo responso simul etiam illi assertioni satisfieri putamus, quâ nobis persuadere non nemo conatur, quòd sanguificatio in vasis alterius cujusdam animalis facta, eam admodum sit adjutura, quæ fit in sanguifluis vasis illius hominis, in quem sanguis alienus transfusus est; haud secus, ac proba exterior culinaris ciborum coctio eorum in Ventriculo hominis necessariam in chylum conversionem ac digestionem plurimùm facilitare & promovere soleat. Tantum enim abest, ut sanguis bruti recens in venam hominis transfusus in eo sanguificationem promoturus, ut potius oppidò impediturus ac turbaturus sit, prout id infrà declarabitur explicatiùs.

Ad hæc, quis nescit, quantum discriminis intersit inter medicamentum & alimentum? Quis nescit, medicamentum alterare; alimentum verò tantùm nutrire? Iccirco quoniam sanguis bruti in venam hominis recens transfusus non alimenti, sed medicamenti respectum habet, uti ex jam supra dictis constat; hinc suâ sponte fluit, beluinum in hominem, Transfusionis lege, derivatum sanguinem humanis partibus nutriendis neutiquam aptum esse; alias plures, quæ adduci possent, rationes, ut silentio prætercam.

Quid? quòd ipse Deus, sapientissimus Artifex, imprudentiæ (horreo dicere!) hac ratione argueretur, ac si is, dum cruda sæpe adhuc, minus pura, & nondum præparata alimen-

alimenta per os aſſumimus, dehinc in debilem Ventriculum demum atque inteſtina detrudenda, longiorem viam, donec ad ſanguinem, ejusq; focum, Cor, pertingant, & partibus nutriendis apponantur, monſtraſſet, cùm longè compendioſiori hodie uti viâ, & Ventriculi officio carere nobis liceat, illâ nempe ipſâ viâ, quâ noviter inventæ Transfuſoriæ hujus Artis ope alimentum jam coctum, purum, & ritè elaboratum, quale ſanguis beluinus fingitur, citra tantas ambages venæ hominis infundi queat, in nutrimentum partium proximè ceſſurum. Verùm enim verò ut Is, qui omnia rectè fecit, nihil temerè, nihil fine prudentiſſimo conſilio fecit; ita etiam hanc tritiſſimam viam, quâ Idem omnia animantia cibum pro nutritione ac conſervatione corporis ſui, naturâ duce, capere voluit, rectiſſimam optimamq; eſſe, quoquo etiam modo Ventriculo affecto, nemo non pius divini Numinis operum æſtimator, nemo non ſanus facillimè agnoſcet. Brevior quidem, fatendum, hæc Transfuſionis via eſt, ſed violenta, nec ſecurior, neque naturæ convenientior; idemq; videtur, ac ſi quis è tertia domus contignatione per ſcalas deſcendere pertæſus, quò viam abbreviaret, ſine gravi cauſâ per feneſtram ſe præcipitare vellet. Videat itaque, qui aliquo Stomachi vitio laboranti, communem medendi methodum præteriens, hanc novam, beluinum ſanguinem transfundendi, Artem

Artem suadet, ne simile ei damnum acceleret, quod ille incurrit, qui gradatim descendere nolens, ex fenestra se dat præcipitem.

Hoc quidem verum est, vix quicquam edulium aut potabilium rerum esse, quod non impurioribus portionibus pluribus, paucioribusve inquinatum sit. At quid tum? Parata sunt emunctoria, & quidem hunc ipsum in finem, ut per ea, quod impurius est, & corpori nutriendo minus aptum, eliminetur; hinc fæces alvinæ, hinc urina, hinc sudor, quibus ritè suis locis sequestratis, sanguis æquè evadit purus, ac si purissimum alimentum venæ hominis immediatè instillaretur. Frustra ergo emunctoria hæc fecisset natura, quæ tamen nihil facit frustra, si id, quo nos vesci solemus, omnis omninò impuritatis immune esset, aut purissimum alimentum, posthabitis Ventriculo ac intestinis, venæ alicui hominis proximè immitti posset.

Deinde novi hujus Inventi hic esse usus dicitur, ut, dum venâ sectâ corruptus sanguis educitur, indeq;, ut plerunque contingere solet, vires hominis fatiscunt, variis haud raro succedentibus morbis, illæ novi ac laudabilis sanguinis restitutione, quam Transfusio præstare putatur, recuperentur resarciantùrq;. Quis verò cordatus Medicus ideo venæsectionem imperat, ut sanguis corruptus ac vitiosus per sectam venam extrahatur? Non certè is venæsectionis usus seu scopus est, qui, si nescis, in hoc potissimùm con-

consistit, ut eâ sanguis abundans imminuatur. Sic indicans, hoc est, sanguinis abundantia, & indicatum, nempe sanguinis imminutio, quæ venæsectione primariò intenditur, contrarietatis ratione ritè invicem respondent. Sanguis autem corruptus vel corrigentia postulat, vel, ubi corrigi nequit, eliminari debet, non quidem per venam sectam, sed per alvum, urinam, poros cutis, aliaq; humani corporis parata emunctoria. Nunquam enim capere potui, quî fieri possit, ut, sectâ venâ, solus corruptus sanguis effluat? Quin seriò hactenus credidi, talem reverâ effluere sanguinem, qualis in venis præstò est, sive is sit corruptus, sive integer probæq; notæ. Corruptus solus si prosiliret, singularem quandam intelligentiam subesse oporteret, quæ vitiosum sanguinem per medium bonum educeret; sed quod inane cerebri figmentum nemo sani cerebri facilè admittet; cùm ejus rei modum, quo fiat, ne ratione quidem assequi liceat. Imò si dicendum, quod res est, ille potiùs sanguis per inflictam venæ plagulam nunquam non prodire videtur, qui reliquum activitate, integritate, motuq; superat; vel saltem, qui rimulæ in vena à Chirurgo factæ proximè adstat. Peccat igitur & graviter peccat, quicunque pro sanguinis corruptione emendandâ venæsectionem in usum adsciscit, nullumq; est mirum, si sinistram sanguinis missionis adhibitionem virium debilitas excipiat; quæ ipsa

malè usurpati cujuscunque præsidii indicium esse solet; quemadmodum contrà venæsectionis aliorumq; generosiorum dextrè administratorum remediorum vim ægri tolerantia ac conferentia sequi consuevit.

Quare cùm infirmâ Transfusionis Propugnatores nitantur hypothesi, falsò rati, sanguinis corruptionem venæsectionis beneficio redintegrandam esse, non potest non ruere etiam illud, quod ei subnexum est, minùsq; rectè putatur, vires hominis inde fatiscentes aliûs sanguinis restitutione, hoc est, beluini transfusione recuperari posse, ac debere. Præterquam enim quòd, si vel maximè hominis vires sanguinis fortè missione labefactatas restituere conveniret, id efficacium medicamentorum ope multò jucundiùs, tutiùs & æque citò efficere liceat, quàm operosâ hac & inter legitima præsidia nondum receptâ beluini sanguinis Transfusione; inconsultissimum etiam videtur, sanguinem sive corruptum, sive integrum mittere, si postea alium ab alio animali mutuatū substituere necesse habeas. Paucis: sanguinem corruptum alterantibus medicamentis, si quidem possibile fuerit, corrigere; & abundantem imminuere decet, sive hoc fiat Venæsectione, sive cucurbitularum applicatione, sive hirudinum appositione, sive inediâ. Re enim verâ Venæsectio, quia propriè non est auxilium, sed tantùm materia auxilii, nunquam indicatur. Jam verò quæ hæc demen-

dementia esset, sanguinem in vasis suis abundantem Venæsectionis ope imminuere, & alium beluinum in emissi locum iterum subrogare velle? etiamsi vires hominis ab administrata Venæsectione paululùm vacillare videantur. Ad quid hæc sanguinis imminutio? Ad quid venæsectio? Nonne frustra fuisset suscepta? Nonne satius fuisset, eâ penitus supersedisse, quàm adhibitâ illâ alienum sanguinem eidem venæ infundere, ex qua proprius evocatus est? Cur non potiùs proprius sanguis in vasis suis relictus est? Nonne hoc aliâ manu detrahere, aliâq; idem, vel deterius substituere, adeoq; actum agere esset? Sic sentient, qui me, re benè reputatâ, rectè intelligent, simulq; mecum fatebuntur, & hunc Transfusioni attributum usum nullum esse frustraq; commentatum.

Notum porro est, & in confesso, quòd, dum potiones medicamentosæ aliaq; medicamina Ventriculum ac intestina pervadunt, in iis insignes pati mutationes necesse habeant, &, antequam ad sanguinem, ipsamq; partem affectam pertingant, maximam virtutum suarum partem amittant. Constat quoque & hoc, plurima eorum medicamentorum, quæ per os assumi debent, vi singularium fermentorum suorum Ventriculum & intestina haud rarò ita labefactare, ut non possint non perniciosæ inde enasci cruditates. Quod si verò crebrior Transfusionis Sanguinis usus apud nos invalesce-

ret, non solùm ejus beneficio integram transfusi beluini & quidem maximè convenientis sanguinis virtutem velut medicamentosam sine tantis ambagibus, & saltu quasi superato Ventriculo, cum ægrotantis hominis sanguine, ad ejus partem affectam deducere liceret, sed & omnis simul querimonia, quæ de Ventriculi cruditate ac imbecillitate à multo medicaminum usu aliàs pronasci nonnunquam solitâ haberi consuevit, averti posset. Hoc eorum argumentum, qui novi hujus Inventi causam agunt, bimembre est, & consistit partim in commodo, quod Transfusio præstare putatur; partim etiam in incommodo, quod ejusdem Operationis ope evitari posse perhibetur.

Equidem nemo facilè inficias ibit, quin omnia propemodum interna medicamenta in Ventriculo suas patiantur mutationes defectionesq;, & multum virium suarum amittant, antequam ad illam perveniant partem, cui potissimùm dicata sunt. Concedimus quoque, multa esse pharmaca, quæ Ventriculo non parum incommodare solent. Anne verò tantæ causæ hæ sunt, ut eas propter omnia medicamina ore delibanda proscribamus, ac susque deque habeamus? quod certè fieri deberet, si dictum commodum ex Sanguinis Transfusione impetrare velimus, quia omnium, vel saltem plerorumque medicamentorum vis aliquantisper exspirare solet, priusquam affecta pars eam sentiat, multaq;

taq; pharmaca nauſeanti Stomacho ſæpe ſæpius obtrudi debent, quæ minùs ei benefactura certò ſcimus. Quòd verò hoc μέγα λίαν αἴτημα?

Si quis in jugulo arteriam aſperam eum in finem perforaret, ut per intrûſum canaliculum appropriatos liquores infundere poſſet, quò medicamentoſa eorum virtus, quæ in longiori aliàs viâ multùm evaneſcit, integris viribus malè affectis pulmonibus ſine ullo circuitu offeratur, quid commodi inde ægrotantem percepturum crederes? commodum verò? imò ineluctabile damnum & præſentiſſimum ſuffocationis periculum ei acceleraretur, qui fortaſſis adhuc aliquandiu ſervari potuiſſet, ſine temeraria illâ ſi fuiſſet perforatione. Sic quoque res ſe habere videtur cum Transfuſione, quæ etiam memorati commodi ergo adhibita plus damni, quàm utilitatis ægrotanti afferet. Evaporet interdum benè multa medicamentoſæ virtutis portio, antequam ad affectam perveniat partem; aggraventq; aliquantò Stomachum faſtidioſa pharmaca; quando aliter fieri non poteſt. Ergone propterea toties beluinus ſanguis transfundendus, quoties integris medicamenti viribus opus eſt, aut Ventriculi indignationem pertimeſcimus? id quod ſi faceres, nonne inſanire, & ægrum datâ operâ excrutiare ac interimere velle videreris? Certò mihi perſuadeo, ægrum quidvis potiùs perlaturum, & vel ſine ullo remedio

 morbi-

morbi exitum, funestum licèt certò futurum, patienti animo expectaturum, quàm sæpiùs iteratam Sanguinis Transfusionem admissurum esse. Hanc enim si semel sine emolumento frustràq; experiretur, (experiretur autem frustra, & sine dubio cum damno etiam) postea, certò scio, nec vi, nec precibus ullis amplius eam admissurus esset. Continuetur potiùs dexter convenientium medicamentorum usus, & longè tutiùs, jucundiùs atque certiùs ille defectus eo resarcietur, qui ex medicamenti per longiorem circuitum metuendâ exspiratione contingere solet. Sic namque & ab usurpati remedii usu minus, quàm à Transfusione ægrotanti imminebit periculum, & tolletur nihilo seciùs morbus, siquidem aliàs possibile fuerit, etiamsi in longiori à Ventriculo ad partem usque affectam viâ non nihil virtutis medicamento decedat, aut Ventriculo acerbior paulò bolus nonnunquam obtrudendus sit. Quis enim nescit, quantum continuatus medicamentorum usus in domandis morbis possit? Et quis non malit remedium ut ut aliquandiu continuandum, tutum tamen, quàm citum quidem, sed periculosum, anceps, dubiiq; eventus? Quid juvat, Transfusione facere, ut integris viribus beluinus sanguis ad locum affectum pertingat, si adhuc incertum est, an is unquam affectam hominis partem à morbo liberaverit, aut liberaturus sit? de quo jam suprà dubitavimus; neque

adhuc

adhuc ejus pœnitet: Vel, quid juvat, Sanguinis Transfusione evitare, ne aliena labes Ventriculo à medicamento affricetur, interea autem aliis humani corporis partibus, ipsique etiam menti, vim ac inevitabile damnum inferre? Annon magis è re foret; stomachantem fortè ab assumpto pharmaco Stomachum communibus roborantibus & decantatis Stomachicis iterũ placare, quàm novi hujus Transfusorii Præsidii administratione ægrotum manifesto exponere periculo? Non tanta apud nos medicamentorum penuria est, ut uni alterive Ventriculo minùs amico adhærere necessariò cogamur. Seligere ex innumero eorum numero licet, quæ maximè ad præsentem morbum debellandum facere videbuntur. Parvam medicamentorum penum illum struxisse oportet, qui, ubi Ventriculus paulò imbecillior arguitur, talia invenire medicamina nesciat, quæ Ventriculum minùs lædere, & tamen causam morbificam æque tollere solent, ac illa, quæ Ventriculo non nihil adversantur, eandemq; morbi causam demere apta nata aliàs dicuntur. Nempe enim non satis est, in omni morborum curatione eò respicere, ut morbus præsens, si possibile, auferatur, sed & decet, altero quoque oculo videre, ne illâ curatione alii morbo ansa præbeatur, neve præsenti morbo opposita remedia aliam quampiam noxam inferant. Sic improvidi minùsq; circumspecti Medici,

oriatur mutatio. Quo responso simul etiam illi assertioni satisfieri putamus, quâ nobis persuadere non nemo conatur, quòd sanguificatio in vasis alterius cujusdam animalis facta, eam admodum sit adjutura, quæ fit in sanguifluis vasis illius hominis, in quem sanguis alienus transfusus est; haud secus, ac proba exterior culinaris ciborum coctio eorum in Ventriculo hominis necessariam in chylum conversionem ac digestionem plurimùm facilitare & promovere soleat. Tantum enim abest, ut sanguis bruti recens in venam hominis transfusus in eo sanguificationem promoturus, ut potius oppidò impediturus ac turbaturus sit, prout id infrà declarabitur explicatiùs.

Ad hæc, quis nescit, quantum discriminis intersit inter medicamentum & alimentum? Quis nescit, medicamentum alterare; alimentum verò tantùm nutrire? Iccirco quoniam sanguis bruti in venam hominis recens transfusus non alimenti, sed medicamenti respectum habet, uti ex jam supra dictis constat; hinc suâ sponte fluit, beluinum in hominem, Transfusionis lege, derivatum sanguinem humanis partibus nutriendis neutiquam aptum esse; alias plures, quæ adduci possent, rationes, ut silentio prætercam.

Quid? quòd ipse Deus, sapientissimus Artifex, imprudentiæ (horreo dicere!) hac ratione argueretur, ac si is, dum cruda sæpe adhuc, minus pura, & nondum præparata

alimen-

alimenta per os aſſumimus, dehinc in debilem Ventriculum demum atque inteſtina detrudenda, longiorem viam, donec ad ſanguinem, ejusq; focum, Cor, pertingant, & partibus nutriendis apponantur, monſtraſſet, cùm longè compendioſiori hodie uti viâ, & Ventriculi officio carere nobis liceat, illâ nempe ipſâ viâ, quâ noviter inventæ Transfuſoriæ hujus Artis ope alimentum jam coctum, purum, & ritè elaboratum, quale ſanguis beluinus fingitur, citra tantas ambages venæ hominis infundi queat, in nutrimentum partium proximè ceſſurum. Verùm enim verò ut Is, qui omnia rectè fecit, nihil temerè, nihil ſine prudentiſſimo conſilio fecit; ita etiam hanc tritiſſimam viam, quâ Idem omnia animantia cibum pro nutritione ac conſervatione corporis ſui, naturâ duce, capere voluit, rectiſſimam optimamq; eſſe, quoquo etiam modo Ventriculo affecto, nemo non pius divini Numinis operum æſtimator, nemo non ſanus facillimè agnoſcet. Brevior quidem, fatendum, hæc Transfuſionis via eſt, ſed violenta, nec ſecurior, neque naturæ convenientior; idemq; videtur, ac ſi quis è tertia domus contignatione per ſcalas deſcendere pertæſus, quò viam abbreviaret, ſine gravi cauſâ per feneſtram ſe præcipitare vellet. Videat itaque, qui aliquo Stomachi vitio laboranti, communem medendi methodum præteriens, hanc novam, beluinum ſanguinem transfundendi,

Artem

Artem suadet, ne simile ei damnum acceleret, quod ille incurrit, qui gradatim descendere nolens, ex fenestra se dat præcipitem.

Hoc quidem verum est, vix quicquam edulium aut potabilium rerum esse, quod non impurioribus portionibus pluribus, paucioribusve inquinatum sit. At quid tum? Parata sunt emunctoria, & quidem hunc ipsum in finem, ut per ea, quod impurius est, & corpori nutriendo minus aptum, eliminetur; hinc fæces alvinæ, hinc urina, hinc sudor, quibus ritè suis locis sequestratis, sanguis æquè evadit purus, ac si purissimum alimentum venæ hominis immediatè instillaretur. Frustra ergo emunctoria hæc fecisset natura, quæ tamen nihil facit frustra, si id, quo nos vesci solemus, omnis omninò impuritatis immune esset, aut purissimum alimentum, posthabitis Ventriculo ac intestinis, venæ alicui hominis proximè immitti posset.

Deinde novi hujus Inventi hic esse usus dicitur, ut, dum venâ sectâ corruptus sanguis educitur, indeq; , ut plerunque contingere solet, vires hominis fatiscunt, variis haud rarò succedentibus morbis, illæ novi ac laudabilis sanguinis restitutione, quam Transfusio præstare putatur, recuperentur resarcianturq;. Quis verò cordatus Medicus ideo venæsectionem imperat, ut sanguis corruptus ac vitiosus per sectam venam extrahatur? Non certè is venæsectionis usus seu scopus est, qui, si nescis, in hoc potissimùm

con-

consistit, ut eâ sanguis abundans imminuatur. Sic indicans, hoc est, sanguinis abundantia, & indicatum, nempe sanguinis imminutio, quæ venæsectione primariò intenditur, contrarietatis ratione ritè invicem respondent. Sanguis autem corruptus vel corrigentia postulat, vel, ubi corrigi nequit, eliminari debet, non quidem per venam sectam, sed per alvum, urinam, poros cutis, aliaq; humani corporis parata emunctoria. Nunquam enim capere potui, quî fieri possit, ut, sectâ venâ, solus corruptus sanguis effluat? Quin seriò hactenus credidi, talem reverâ effluere sanguinem, qualis in venis præstò est, sive is sit corruptus, sive integer probæq; notæ. Corruptus solus si prosiliret, singularem quandam intelligentiam subesse oporteret, quæ vitiosum sanguinem per medium bonum educeret; sed quod inane cerebri figmentum nemo sani cerebri facilè admittet; cùm ejus rei modum, quo fiat, ne ratione quidem assequi liceat. Imò si dicendum, quod res est, ille potiùs sanguis per inflictam venæ plagulam nunquam non prodire videtur, qui reliquum activitate, integritate, motuq; superat; vel saltem, qui rimulæ in vena à Chirurgo factæ proximè adstat. Peccat igitur & graviter peccat, quicunque pro sanguinis corruptione emendandâ venæsectionem in usum adscíscit, nullumq; est mirum, si sinistram sanguinis missionis adhibitionem virium debilitas excipiat; quæ ipsa

dementia esset, sanguinem in vasis suis abundantem Venæsectionis ope imminuere, & alium beluinum in emissi locum iterum subrogare velle? etiamsi vires hominis ab administrata Venæsectione paululùm vacillare videantur. Ad quid hæc sanguinis imminutio? Ad quid venæsectio? Nonne frustra fuisset suscepta? Nonne satius fuisset, eâ penitus supersedisse, quàm adhibitâ illâ alienum sanguinem eidem venæ infundere, ex qua proprius evocatus est? Cur non potiùs proprius sanguis in vasis suis relictus est? Nonne hoc aliâ manu detrahere, aliâq; idem, vel deterius substituere, adeoq; actum agere esset? Sic sentient, qui me, rectè reputatâ, rectè intelligent, simulq; mecum fatebuntur, & hunc Transfusioni attributum usum nullum esse frustraq; commentatum.

Notum porro est, & in confesso, quòd, dum potiones medicamentosæ aliaq; medicamina Ventriculum ac intestina pervadunt, in iis insignes pati mutationes necesse habeant, &, antequam ad sanguinem, ipsamq; partem affectam pertingant, maximam virtutum suarum partem amittant. Constat quoque & hoc, plurima eorum medicamentorum, quæ per os assumi debent, vi singularium fermentorum suorum Ventriculum & intestina haud raro ita labefactare, ut non possint non perniciosæ inde enasci cruditates. Quod si verò crebrior Transfusionis Sanguinis usus apud nos invalesce-

ret, non solùm ejus beneficio integram transfusi beluini & quidem maximè convenientis sanguinis virtutem velut medicamentosam sine tantis ambagibus, & saltu quasi superato Ventriculo, cum ægrotantis hominis sanguine, ad ejus partem affectam deducere liceret, sed & omnis simul querimonia, quæ de Ventriculi cruditate ac imbecillitate à multo medicaminum usu aliàs pronasci nonnunquam solitâ haberi consuevit, averti posset. Hoc eorum argumentum, qui novi hujus Inventi causam agunt, bimembre est, & consistit partim in commodo, quod Transfusio præstare putatur; partim etiam in incommodo, quod ejusdem Operationis ope evitari posse perhibetur.

Equidem nemo facilè inficias ibit, quin omnia propemodum interna medicamenta in Ventriculo suas patiantur mutationes defectionesq;, & multum virium suarum amittant, antequam ad illam perveniant partem, cui potissimùm dicata sunt. Concedimus quoque, multa esse pharmaca, quæ Ventriculo non parum incommodare solent. Anne verò tantæ causæ hæ sunt, ut eas propter omnia medicamina ore delibanda proscribamus, ac susque deque habeamus? quod certè fieri deberet, si dictum commodum ex Sanguinis Transfusione impetrare velimus, quia omnium, vel saltem plerorumque medicamentorum vis aliquantisper exspirare solet, priusquam affecta pars eam sentiat, mul-

taq;

taq; pharmaca nauſeanti Stomacho ſæpe ſæpius obtrudi debent, quæ minùs ei benefactura certò ſcimus. Quòd verò hoc μέγα λίαν αἴτημα?

Si quis in jugulo arteriam aſperam eum in finem perforaret, ut per intruſum canaliculum appropriatos liquores infundere poſſet, quò medicamentoſa eorum virtus, quæ in longiori aliàs viâ multùm evaneſcit, integris viribus malè affectis pulmonibus ſine ullo circuitu offeratur, quid commodi inde ægrotantem percepturum crederes? commodum verò? imò ineluctabile damnum & præſentiſſimum ſuffocationis periculum ei accelerаretur, qui fortaſſis adhuc aliquandiu ſervari potuiſſet, ſine temeraria illâ ſi fuiſſet perforatione. Sic quoque res ſe habere videtur cum Transfuſione, quæ etiam memorati commodi ergo adhibita plus damni, quàm utilitatis ægrotanti afferet. Evaporet interdum benè multa medicamentoſæ virtutis portio, antequàm ad affectam perveniat partem; aggraventq; aliquantò Stomachum faſtidioſa pharmaca; quando aliter fieri non poteſt. Ergone propterea toties beluinus ſanguis transfundendus, quoties integris medicamenti viribus opus eſt, aut Ventriculi indignationem pertimeſcimus? id quod ſi faceres, nonne inſanire, & ægrum datâ operâ excrutiare ac interimere velle videreris? Certò mihi perſuadeo, ægrum quidvis potiùs perlaturum, & vel ſine ullo remedio

 morbi

morbi exitum, funestum licèt certò futurum, patienti animo expectaturum, quàm sæpiùs iteratam Sanguinis Transfusionem admissurum esse. Hanc enim si semel sine emolumento frustràq; experiretur, (experiretur autem frustra, & sine dubio cum damno etiam) postea, certò scio, nec vi, nec precibus ullis amplius eam admissurus esset. Continuetur potiùs dexter convenientium medicamentorum usus, & longè tutiùs, jucundiùs atque certiùs ille defectus eo resarcietur, qui ex medicamenti per longiorem circuitum metuendâ exspiratione contingere solet. Sic namque & ab usurpati remedii usu minus, quàm à Transfusione ægrotanti imminebit periculum, & tolletur nihilo secius morbus, siquidem aliàs possibile fuerit, etiamsi in longiori à Ventriculo ad partem usque affectam viâ non nihil virtutis medicamento decedat, aut Ventriculo acerbior paulò bolus nonnunquam obtrudendus sit. Quis enim nescit, quantum continuatus medicamentorum usus in domandis morbis possit? Et quis non malit remedium ut ut aliquandiu continuandum, tutum tamen, quàm citum quidem, sed periculosum, anceps, dubiiq; eventus? Quid juvat, Transfusione facere, ut integris viribus beluinus sanguis ad locum affectum pertingat, si adhuc incertum est, an is unquam affectam hominis partem à morbo liberaverit, aut liberaturus sit? de quo jam suprà dubitavimus; neque

adhuc ejus pœnitet: Vel, quid juvat, Sanguinis Transfusione evitare, ne aliena labes Ventriculo à medicamento affricetur, interea autem aliis humani corporis partibus, ipsiq́ue etiam menti, vim ac inevitabile damnum inferre? Annon magis è re foret, stomachantem fortè ab assumpto pharmaco Stomachum communibus roborantibus & decantatis Stomachicis iterū placare, quàm novi hujus Transfusorii Præsidii administratione ægrotum manifesto exponere periculo? Non tanta apud nos medicamentorum penuria est, ut uni alterive Ventriculo minùs amico adhærere necessariò cogamur. Seligere ex innumero eorum numero licet, quæ maximè ad præsentem morbum debellandum facere videbuntur. Parvam medicamentorum penum illum struxisse oportet, qui, ubi Ventriculus paulò imbecillior arguitur, talia invenire medicamina nesciat, quæ Ventriculum minùs lædere, & tamen causam morbificam æque tollere solent, ac illa, quæ Ventriculo non nihil adversantur, eandemq; morbi causam demere apta nata aliàs dicuntur. Nempe enim non satis est, in omni morborum curatione eo respicere, ut morbus præsens, si possibile, auferatur, sed & decet, altero quoque oculo videre, ne illâ curatione alii morbo ansa præbeatur, neve præsenti morbo opposita remedia aliam quampiam noxam inferant. Sic improvidi minùsq; circumspecti Medici

esset, si is, v. g. calidam Hepatis intemperiem restincturus, refrigerantes potiones immoderatiùs exhiberet, sine ullo habito ad Ventriculum respectu, aut necessariâ curâ, ne ejus fermento inde labefactato, appetitus prosternatur, concoctio lædatur, sicq; gravius, quàm Hepatis erat intemperies, pronascatur malum.

Denique imperfecta foret Medicina, nisi, quæ Venæsectionem habet, quâ sanguinis abundantiam subitò imminuere licet, eadem haberet & tale remedium, quo sanguinis defectum subitò supplere possit, quale Sanguinis Transfusio à quibusdam esse creditur. Hîc in antecessum advertendum, defectum sanguinis potissimùm vel à defectu alimenti, vel à nimia & subitaneâ quacunque hæmorrhagiâ proficisci. Defectum alimenti eusarca & euchyma abundè supplere apta nata sunt; ut nullo prorsus alio potiori aut vehementiori præsidio, multò minùs Transfusione, opus sit. Et in hæmorrhagiis quàm nullum penitus locum usumq; habeat beluini Sanguinis Transfusio, ob non contemnendas fortè rationes, jam supra innuimus. Quare neutiquam ideo imperfecta dicenda Medicina, etiamsi non habeat, quo sanguineam massam subitò unâq; vice angere possit; quemadmodum habet, quo unâ vice ac subitò sanguinem imminuere potest, quia sanguinem in quibusdam casibus subitò imminuere quidem, extrema sæpe postu-

lat.

lat necessitas; at augere sanguinem, idq; subitò, simul, ac unâ vice, & quidem alieni sanguinis additione, nec opus unquam est, nec commodè ac sine noxa licet. Taceo, quòd, etsi tale remedium Medicina haberet, quo sanguinem subitò in hominem transfundere, atque adeo alium in profusi locum mox iterum substituere commodè posset, tamen propterea nondum omnibus numeris perfecta esset.

Ditata quidem est saluberrima servandorum hominum Ars, intra aliquot tantùm lustra, egregiis, multiq; usûs Inventis; neque tamen etiamnum ad id perfectionis culmen adscendit, ut perfectior reddi nequeat. Guilielm. Harveus anno 1628. primus publico Scripto docuit, quo motu modoq; sanguis eat redeatque velut actus in orbem. Quis antè quicquam scivit de Venis lacteis, quàm eos Casp. Asellius anno 1622. densissimis quasi tenebris obrutas in apricum produxit? Ductum Thoracicum à Bartholom. Eustachio jam anno 1563. tanquam per transennam quidem visum Joh. Pecquetus anno 1651. demum pleniùs detexit, ejusq; usum ostendit. Vasa lymphatica invenit Thom. Bartholinus anno 1653; vel, ut aliis placet, Olaus Rudbeck anno 1658, vel potius Londinensis ille Jolivius anno 1652. Ductum Pancreaticum Joh. Georg. Virsungus primùm anno 1642. monstrasse vulgò creditur. Ductus salivales superiores Nicolaus Steno

 anno

anno 1661; & inferiores paulò antè Thom. Wartonus primus vidisse dicitur. Hæc, inquam, Inventa, (de tot noviter excogitatis Instrumentis Chirurgicis, multisq; partim Chymicis, partim exoticis Veteribus ignotis medicamentis, nequid dicam,) ad rei Medicæ complementum multum quidem faciunt; nullum tamen est dubium, quin plura adhuc restent, eaq; non minùs fortassis proficua futura, quæ etiamnum desiderantur. Quod ideo solùm dico, ne Transfusionis Patroni sibi persuadeant, hoc suum Inventum almam Medicinam nostram unicè perfectam reddere posse. Imò palam fateri cogimur, mutilam hodienum esse, & in multis imperfectam non solùm Medicinam, sed & plerasque alias disciplinas. Exclamare & nos necesse habemus: quantum est, quod nescimus! Multa procul dubio adhuc nobis abscondita sunt, quæ, si sciremus, ad Medicinæ perfectionem non parum fortassis factura essent.

Verùm ita omninò comparatum est cum prudentissimâ Naturâ, ut opera sua haud rarò sipario quodam velut obvelata non simul & semel revelet, sed Posteris etiam aliquid relinquat, quod nos latere voluit. Interea licèt in immensum his nostris temporibus creverit Medicinæ scientia, nemini tamen aliquid vel ulteriùs inveniendi, vel adjiciendi occasio sublata est. Sunt adhuc morbi incurabiles, vel curatu admodum difficiles,

quos

quos si quis novo demumque inveniendo remedio, vel certiori methodo, persanare doceret, næ! is magnam ab omnibus Æsculapii Filiis, ipsisq; etiam infirmis iniret gratiam, multumq; perfectionis Medicæ Arti adjiceret. Adhuc enim nescit, tollere nodosam Medicina podagram; adhuc nescit, eradicare Cancrum; adhuc nescit, addere, quæ à nativitate deficiunt. Sic quis Medicus novit, illi loco, quo, v. g. digitus manus aut pedis à nativitate deficit, naturalem digitum adaptare, suâq; Arte producere? Quemadmodum igitur Medicina membrum aliquod à corpore suo, e. g. digitum à manu avellere quidem scit, addere autem vel apponere digitum nescit; ita sanguinem quidem per Venæsectionem sine mora imminuere, & quasi rescindere novit, sanguineam autem massam extemplò augere & vasa sanguiflua alio sanguine sine damno replere, adhuc ignorare potest, idq; sine notabilioris imperfectionis exprobratione.

CAP. V.

Phænomena, numero sex, pro Transfusione adducta ventilantur, & ad ea ita respondetur, ut cuncta nihil probare ostendatur.

Superavimus brevi examine & hos quatuor secundarios sive speciales Transfusoriæ Arti assignatos usus: Placet nunc, ulteriùs progredi, eâdemq; brevitate

vitate illa phœnomena perstringere, quæ Transfusionis Invento lucem fœnerari, & applausum assensumq; conciliare creduntur. Scilicet novam hanc Sanguinis Transfusionem ipsa rerum omnium magistra, Natura, digito quasi nobis monstravit, quando similem penè cùm illâ in modum à materni uteri placentâ per venam umbilicalem in fœtus hepar sanguis transfunditur, ut eò tenellum corpusculum nutriatur. Sic opinantur, qui novæ huic Transfusionis operationi litant. Mirum certè, si Natura novum hoc Transfusionis Artificium tam pulchro typo nobis præformavit, id tam diu, & usque ad hæc nostra tempora ignotum latuisse. Verone simile sit, Majores nostros, qui nec ipsi cerebrum in calcaneo gesserunt, tam speciosum Artificium, si exerceri cum hominis emolumento posset, à Natura non didicisse jam dudum? Quid dicendum? Fortassis non observarunt; vel, si observarunt, ceu rem nullius, vel saltem exigui usus spreverunt, nec dignam judicarunt, quam literis posteritati commendarent. Sit ut sit. Mihi certè, ni omnes mei sensus fallunt, magnum discrimen intercedere videtur inter hanc noviter artificiosè excogitatam, & illam à matre in fœtum suum contingentem Transfusionem. Hîc enim ejusdem qualitatis sive proprietatis, vel non multùm inter se diversus è placenta uteri in fœtum transmeat sanguis; ibi verò beluinus, ceu specie & formâ,

adeoq;

adeoq; qualitate ab humano ſanguine plurimùm differens ſanguis in hominem transfundi jubetur. Hîc ingens, inter matrem nempe & fœtum conformitas ſeu ſimilitudo; ibi verò notabiliſſima, inter brutum puta & hominem, ſe offert diverſitas. Et quod magis, hîc fœtus in utero non purpureo ſanguine, ſed, vel materiâ albugineâ in placenta concoctâ oviq; albo non abſimili, vel lacte aut chylo materno per peculiares ductus ad uterum, & imprimis uterinum hepar confluente, graviſſimorum Anatomicorum probabiliſſimâ opinione, alitur; ibi verò rubicundus cruor à bruto in hominem intermedii canaliculi beneficio derivatur. His ſi appenderimus, quòd fœtus in utero, juxta ſtringentiſſima divi Coi noſtri argumenta, per os potiùs, quàm per umbilicum nutriri videatur, hui! quàm citò cadet omnis comparatio inter nutritionem fœtus & hodiernam Sanguinis Transfuſionem efficta. Ut non tam mirari ſubeat, quòd Veteribus fœtus nutritio nullam, Sanguinis Transfuſionem inveniendi, occaſionem præbuerit, quàm quòd Recentiores nonnulli Transfuſoriæ Artis ortum exinde deducere auſint.

Sunt etiam, qui dicunt, nos veſci variorum animalium carnibus, itemq; lacte frui, & nutriri inde lautè; hincq; putant, nos ſimiliter brutorum ſanguine uti, eumq; adhuc calentem intra venas noſtras commodè recipere poſſe, ne quicquam veriti, ne cum ſangui-

sanguine bruti natura atque mores, aut graviora fortè damna, in hominem transplantentur; quod alios tam anxiè timere sciunt. At enim verò magna est differentia inter carnes animalium, quas comedere quotidie consuescimus, nec non lac, quod ore delibare solemus, & inter sanguinem brutorum, qui Transfusoriæ Chirurgiæ lege venæ alicui hominis instillatur. Carnis enim frustum à corpore suo divulsum non ampliùs eâ gaudet flammæ sive caloris vitalis virtute, quam, dum corpori vivo adhuc cohærebat, ab animati sanguinis præsentiâ obtinuit. Sanguis verò bruti, qui in hominem per canaliculum, Transfusionis artificio, derivatur, flammeus & fervidus, adeoq; animatus adhuc, sive brutali animâ suâ quasi impregnatus est. Hinc esus carnis hominis temperamentum, naturam, aut mores immutare nequit; sanguis verò beluinus, maximè recens, calens, & immediatè venæ instillatus & immutavit, ut ex historiis infrà narratis nobis constat, & immutabit sine dubio. Deinde pecorum carne non crudâ, non recenti, non vitali igne & animali calore adhuc turgidâ; sed prius refrigeratâ, sæpe satis diu in aqua aût aceto maceratâ, hincq; probè emollitâ ac præparatâ, atque tum demum vel coctâ vel assâ vescimur, idq; ob hanc dubio procul rationem, ut virtus, quam sibi à vitali flammâ appropriatam habuit, unà cum cruore ante esum, quantum possibile, eluatur ac secedat.

Ast

Aſt ſanguis novâ hâc Transfuſionis Operatione integer, ſine ulla prævià præparatione, &, ut diximus, igneus, animatus, ſive animâ ſuâ quaſi incruſtatus à bruto in hominem traducitur. His addo, quòd caro, quam manducamus, in Ventriculo ac inteſtinis priùs concoqui inq; chylum converti, ſicq; ibidem multas mutationes ſubire neceſſe habeat, quàm ſanguineæ maſſæ ſe immiſceat, quò interea longiori hâc viâ moràq; humanæ naturæ familiarior fiat, & paulatim aſſueſcat, ne ſubita mutatio, quæ plerunque periculoſa, contingat. Ex quibus luculenter apparet, quàm ingens intercedat diſcrimen inter carnes animalium, quas comedimus, & inter ſanguinem bruti, qui à Neotericis quibusdam in hominem transfunditur, quæq; ſit ratio, quòd illâ commodè veſci, hunc autem intra venas noſtras nunquam tutò admittere nobis liceat.

Lac quod attinet, itidem à ſanguine non parùm differt, eſtq; illius in cibis, & hujus in Transfuſione uſus diverſiſſimus. Lac namq; longè vilior, crudior, minùsq; excoctus, & hinc etiam minùs potens ſuccus eſt, quàm ſanguis arterioſus, quem in Transfuſione adhibent. Hincq; credendum, lacti non tantam alterandi datam eſſe facultatem, quàm ſanguini. Lac ceu ex chyloſa materiâ generatum tantas non ſubiit in corpore animalis mutationes, quàm ſanguis, qui totum corpus ſubinde peragrat, ipſumq; caloris

focum,

focum, Cor puta, non unâ vice transit. Unde non potest non naturæ character sanguini altiùs imprimi, quàm lacti. Unde non potest non sanguis animalis naturam, temperamentum, atque mores tenaciùs in se continere, & exactiùs referre, quàm lac. Unde tandem non potest non sanguis hujus animalis ab alio intra corpus suum receptus huic suam naturam, temperamentum atque mores quadantenus, nisi gravius quid impediverit, affricare, cumprimis, si is adhuc caleat. Ampliùs, Lac vel frigidum bibitur, vel ut plurimùm prius coquitur, quàm assumatur; quâ coctione fit, ut ejus portiones subtiliores, potentiores, magisq; activæ, animalis naturam potissimùm redolentes, maximam partem exspirent, abscedantq; , & loco nativi caloris, adscititius sive externus calor lacti impertiatur. Sanguis autem absque ulla præviâ coctione, fervidus, suâq; flammâ vitali & nativo temperamento adhuc instructus transfunditur. Et quod præcipuum est, Lac non nisi per os ingeritur, idq; rarò proprio calore calens, sed culinari tantùm igne excalefactum. At sanguis in Transfusionis Operatione ex sui caloris præsentiâ æstuans vivensq; ex ipsa beluæ arteriâ per brevem tubulum immediatè venam hominis subire cogitur. Rariùs autem, imò rarissimè licèt lac ex ipsis animalis uberibus exsugatur, tamen quoties id fit, & quidem continuato imprimis usu, pletun-

plerunque ita fieri constat, ut cum lacte illius animalis temperamentum, &, quamvis non præcipuæ, aliquæ tamen saltem, proprietates in illud simul transeant animal, quod lac ex ipsis uberibus hausit. Sic, Nobilis ille Genuensis puer, qui paulò post partum, mortuâ matre, lac ex ipsis vaccæ uberibus sugere jussus est, ut meliùs nutriretur, vaccæ mores inde eatenus induit, ut pòst, velut hoc animalis genus solet, similiter perpetuò ruminarit. Et de alio puero refertur, eum à cervæ lacte nutritum cervos fugientes per saltus ac juga montium eâdem ferè pedum pernicitate, quâ ipsi cervi pollent, sequi solitum fuisse. Nec minùs ille, quem capra lacte suo aluit, semper, cùm adolevisset, saltare immoderatiùs, plantarumq; locustas, ut pendentes rupe capellæ amant, arrodere petulantiùs consuevit.

Quid? quòd idem ingeniorum ac proprietatis cum lacte tradux non solùm à bruto in hominem, sed & à bruto in brutum, homineq; in hominem haud raro fieri animadvertatur. Notum enim est, quòd, si hædi ovium, aut agni caprino lacte, alantur, his lana durior, & illis capillus contingat tenerior. Unde hoc? nisi quòd cum lacte ab ove in hædum aliqua ovinæ, & à capra in agnum nonnulla caprinæ proprietatis pars transmigret. Obq; eandem rationem experimur, lac nutricis annosæ infanti alumno conciliare imbecillitatem membrorum, bre-

vem senectam, maturamq; canitiem; libidinosæ verò & salacis lac efficere puerum multis libidinum passionibus obnoxium. Ut hinc minimè mirum sit, illos pudicarum licèt mulierum liberos, qui ab impudicis nutricibus, quales pleræque apud nos esse solent, lactati sunt, sæpe nec corporibus, nec animis parentibus suis similes existere. Unde hoc? nisi quòd, ut Aul. Gellius *Noct. Attic. Libr.* 12. *c.* 1. rectissimè arguit, in moribus inolescendis, ipsoq; fortassis corpore effingendo magnam ferè partem ingenium altricis & natura lactis teneat. Quod adeo verum est, ut communi loquendi modo populiq; judiciis & mores, & morbi, & sanitas cum lacte primo bibi dicantur. Hoc itaque ex alieni lactis duntaxat nutritu, succi licèt crudioris & tantas alterationes in animalis corpore subire non soliti, proptereaq; ejus naturam minùs redolentis si contingit, quid fieret, si Transfusoriæ Artis lege plures unciæ belluini sanguinis, & quidem, calentis ac arteriosi, qui naturam animæ cujuscunque individui reverà imitatur, in venam hominis immediatè derivarentur?

Nec porro plus roboris habet illa argumentatio, quæ à sanguinis pro quorundam morborum curatione hausti usu ad hanc sanguinis in Transfusionis Operatione usitatam adhibitionem extenditur. Non, inquam, valet consequentia: Sanguis etiam calens sine noxâ, medicamenti loco, pro debel-

debellandis morbis quibusdam, bibitur & per os assumitur; quid ni ergo sanguis alicujus bruti etiam in venam hominis, mediante brevi tubulo, innoxiè non solùm, sed & utiliter transfundi possit? Nam ut taceam, & hîc inter sanguinis immediatam in venam hominis Transfusionem, & ejus potationem, notabile iterum occurrere discrimen; falsum præterea est, sanguinem calentem rectè ac sine noxa bibi.

Notum quidem est ex *Plin. Natural. Histor. Libr. 28. c. 1.* jam olim apud Romanos fuisse, qui in Theatro & arenâ jugulatorum gladiatorum adhuc spirantem sanguinem, unàq; ipsam animam, uti loquitur, tanquam arcanum contra epilepsiam præsidium, ex ipsis vulnerum osculis sorpserint. Verùm enim verò tantum abest, ut ipse Plinius hoc remedii genus approbet, ut potiùs paulò pòst vehementissimè illud execretur, jurisq; humani eversoris ac monstrorum artificis, Diaboli, inventum vocet, ratus, hunc solum, quod cæde humanâ & sanguinis humani effusione delectetur, ex hominum sanguine pharmaca fraudulenter instituisse, hominibusq; persvasisse, ut pro arcendo Comitiali morbo sanguinem humanum haurirent. In hanc sententiam etiam it non inelegans Scriptor Joh. Bruyrinus, qui de *Re Cibariâ Libr. 2. c. 4.* id auxilii Christiano homine indignum, eosq;, qui ostenderint primùm, & literis prodiderint, ab Anthropophagis

oriundos judicet; haud secùs, ac Doctissimus Joh. Langius, qui *Epistol. Medicinal. 24. Libr. 1.* cum Tertulliano calentis sanguinis potationem, ceu Dæmonum præstigiam, quum per Christum nobis illuxerit veritas, contemnit & irridet. Et quamvis Celsus *Libr. 3. c. 23.* quendam, jugulati gladiatoris calido sanguine epoto, à Comitiali morbo sese liberasse scribat; tamen mox addit, miserum hoc auxilium, tolerabile, miserius fecisse malum. Unde conjicere licet, quòd, etsi hîc humani sanguinis potus epilepsiam averruncârit, tamen non sine omni noxa fuerit, quin imò aliud ipsâ epilepsiâ atrocius damnum incusserit. Quid? quòd Aretæus *Libr. 1. de Curat. Diut. Morb. c. 4.* nonnullos quidem viderit, qui jugulati hominis vulneri phialam subjecerint, atque inde haustum cruorem biberint; sed & eos adeo severè increpuit, ut indignabundus exclamârit: ô! ingentem necessitatem, quempiam sustinere, malum malo piaculo depellere. Taceo, neminem verè nominato Scriptori affirmare potuisse, quenquam temerariorum istorum heluonum sanitatem exinde recepisse.

Sed quid attinet, plura testimonia atque exempla infeliciter ausuq; prorsus impio hausti humani sanguinis ex Veterum monumentis eruere atque corradere? Prostant & nova, quibus idem non minùs confirmare licet. Thom. Bartholinus stupendum illud non modò Daniæ, sed totius propemodum litera-

rii

rii Orbis Decus, *Disquisit. Med. de Sanguine Vetito*, de quodam Mendico narrat, quòd is, hausto cruore decollati hominis, eo insaniæ devenerit, ut linguæ magnam partem sibi ipsi dentibus abſciderit, ſine dubio convulſionibus in maxilla auctis; teſtaturq;, etiam in ſua Urbe Haffniâ fuiſſe, qui majori fiduciâ, quàm felicitate iſtud remedii genus ex decollatis ad morbum Herculeum tentarint, indeq; nauſeam omnibus ſucceſſiſſe, ſanitatem autem nulli. Dan. Beckerus *Spagyr. Microcoſm. c. 14.* Regiomonti Civem quendam novit, qui ſuaſu muliercularum adamante cutem aperuerit, & quamvis ſanguinis promanantis non niſi unam atque alteram guttulam filiolo ſuo exhibuerit, tamen id fecerit miſerrimo exitu. Refert etiam ibidem, audaculum quendam præſervationis ergò ſanguinem jugulati hauſiſſe, indeq; ſubitò in epilepſiam incidiſſe, cùm tamen eâ ante hac nunquam fuiſſet tentatus. Et Zacutus Luſitanus *Pract. Med. Admir. Libr. 3. obſ. 79.* annotatum reliquit, juvenem quendam inimico ſuo, amicitiâ ſimulatâ, ad convivium invitato, inter potandum obtrudiſſe poculum vini cum unciis duabus ſanguinis humani ex homine ruffo venæſectione emiſſi, adjecto etiam ſaccharo; unde cùm illud incautus exhauſiſſet, poſt triduum delira loqui cœperit, & in perpetuum fatuus remanſerit, adeo, ut nullo prorſus remediorum genere curari potuerit.

Nec mirum hoc videri debet, cùm fieri vix possit, quin sanguis vasis suis egressus, & ab homine potus, in Ventriculo, propter innumeram, quâ præditus est, fibrarum multitudinem, coeat, concrescat; mox corrumpatur, putrescat, sæpe etiam singularem malignitatem induat, & gravissimorum morborum mater fiat, ut: maniæ, lipothymiæ, torminum Ventris, difficilis respirationis, marasmi, convulsionum, lepræ, oblivionis, ipsiusq; denique mortis, velut Medicorum annales passim denunciant. Ut adeo humanus sanguis, isq; adhuc calens nequaquam innoxiè delibetur; dolendumq; modò sit, tantum huic crudeli potioni hodienum à vulgo Christianorum tribui, ut dubiæ valetudinis aleam cruento remedio exponant, à quo potiùs quivis unus, cui propria Salus curæ Cordiq; est, diligenter sibi caveat, certò persuasus, truculentam ac inhumanam hanc medicinam non aliunde, quàm ab ipso Dæmone vanisq; ac superstitiosis hominibus nefariè excogitatam esse.

Idem autem penè, quod de perniciosо calentis humani sanguinis interno usu diximus, dici etiam non immeritò potest de beluini sanguinis, maximè, adhuc calentis detestando ac abominabili potu. Vulgò notum est, eos, qui taurinum delibarunt sanguinem, non solùm in horrenda incurrisse symptomata, sed & ipsos tauros vaccasve se putasse. Qui Canis sanguinem gustarunt, ejus

ejus ululatum simul ac rabiem nonnunquam imitantur. Nec adeo rarum est, eos, qui lupi sanguinem biberunt, ululatum ac rabiem luporum similiter aliquando æmulatos esse. Et apud Weinrichium *de Monstris c. 15.* legimus, quendam suillo sanguine pastum, post luto similiter ad fastidium usque se delectasse. Scribitq; Idem Author ibidem, quòd, cùm puella quædam Uratislaviensis pro debellandâ, quâ detinebatur, epilepsiâ, felinem sanguinem bibisset, inde felis naturam induerit, &, quod id animal in ædibus solet, idem hæc voce, saltu, gestu, vestigiis, mures in silentio, angustissimis etiam in foraminibus, venata, tam diu imitata fuerit, quamdiu paroxysmi vehementia duravit; luculento certè argumento, etiam cum poto bruti alicujus sanguine, cumprimis si is calidus fuerit, ejusdem animalis mores in hominem nonnunquam transire; nedum si is immediatè venæ hominis instilletur.

Et quamvis hoc non semper eveniat, notumq; vicissim sit, sanguinem Canis à Dioscorid. *Libr. 2. c. 97.* contra morsum canis rabidi; Phocæ verò itemq; Rangiferi, teste Sennerto *Libr. 3. de Scorbut. P. 5. Sect. 2. c. 2.* & Thom. Bartholino *de Sanguin. Vetit.* à Norwegis contra scorbutum; nec non Aquilæ ab Aldrovando *Ornithogal. Part. 1. L. 1.* ut & Cervi ab Eodem Authore *Tom. 1. Libr. 12. c. 13.* item Agni ab Ægineta *Lib. VII. de Re*

Medic. c. 3. Testudinis quoque à Petr. Bayro *Pract. Libr. 2. c. 16.* atque Weckero *Antid. Spec. Libr. I. Sect. 24.* & imprimis Mustelæ ab Horat. Augenio *Consil. & Epist. Medicinal. Tom. II. L. 8.* aliisq; contra epilepsiam, ceu arcanum ac præstantissimum remedium, si bibatur, deprædicari; tamen primò adhuc dubium est, an dictorum animalium sanguis eum effectum reverâ ediderit, & adhuc præstiturus sit, quem præstare nudè dicitur. Quis nescit, multa hujusmodi fabulosa remedia à Veteribus ad nos propagata eodem pretio à Modernis vendi, quo ab antiquis Scriptoribus acceperunt, sine ullis sæpe factis sufficientibus circa ea experimentis? Quis nescit, sæpe sæpius in Medicina committi fallaciam non causæ, ut causæ? Ecquis tandem spondebit, cruentum hoc remedium non idem quandoque, vel aliud grave secutum esse damnum; quod sanguinem taurinum, caninum, lupinum, porcinum, felinum intulisse diximus? Anne piaculum fit, suspicari, eos fortassis, qui id præsidii commendarunt, inde prognatam noxam, ut fit, datâ operâ reticuisse?

Deinde cum paulò suprà laudato Thom. Bartholino *de Sanguin. Vetit.* censeo, nunquam non rectiùs, majoriq; pietate, quia sanguinis experimentum scrupulum in animis Christianorum movet, loco sanguinei hujus medicamenti alia substitui, quæ simili prorsus facultate ac virtute prædita contra eandem

dem morbi ſpeciem dimicare apta nata ſunt, contra quam beluini ſanguinis ingurgitatio vulgò deprædicatur. Legitima enim & à Deo conceſſa remedia quia pro morbis abundè hodie nobis ſuppetunt, quibus ſanitatem redintegremus, jure meritòq; quivis Chriſtianus Medicus illa abominatur, quæ vel ſuperſtitionem, vel Magiam, vel impietatem quamcunque redolent; maximè, cùm & quoad experientiam, ut jam jam audivimus, & quoad rationes, internus calentis ſanguinis uſus, Clariſſimorum Scriptorum teſtimoniis, reprobatus ſit; quos inter, ut Cœlium Aurelianum *Libr. I, Chron. c. 4.* Unzerum *de Epilepſia L. 2. c. 12.* alioſq; ſilentio prætercam, ſolum Sennertum, communem illum Præceptorem noſtrum, allegare hîc juvabit. Quid autem is? Sanguis, inquit, *Inſtitut. Med. Libr. 2. Part. 3. Sect. 2. cap. 4.* potiſſimùm adhuc calens & ſpiritibus plenus potus miras mutationes in homine inducit, ut vel generatim ſaltem beſtiarum feritatem exprimat, vel etiam ſpeciatim alicujus beſtiæ mores imitetur. Nam cùm ſanguis naturam animalis ſui habeat, & omnes animalis actiones potiſſimùm ſpirituum & caloris nativi beneficio perficiantur, illo ab homine aſſumpto, in ſpiritibus ejus & calore, ac conſequenter in humoribus & ſolidis etiam partibus fieri mutationem credibile eſt; cùm omne alteratum naturam alterantis ſequatur, nî actio interrumpatur, aut accidentarium quid eveniat.

Nec eſt, ut quis hîc ogganniat, lupos ſæpe multum ovini cruoris ingurgitare, nec tamen eapropter ovinam induere naturam; & muſtelas ſive martes ſanguinem gallinarum aut columbarum voraciſſimè haud raro exſorbere, nec tamen quicquam mitiores evadere, ſuamve feritatem exſuere; adeoq; nullam à ſanguinis potu fieri mutationem in ſimilem diſpoſitionem ei, cujus fuit ſanguis. Facilè enim huic occurremus objectioni, ſi dixerimus, ideo in his animalibus nullam fieri ad ſimile mutationem, quòd ipſorum natura ſit ἐνεργητικώτερα, mutetq; violentiùs cibum, quàm ipſe mutetur. Dein etſi ad aliquam lenitatem à cibo hoc ſpirituoſo ſanguineoq; redigantur, tamen quia ferina conſortia ſuaq; loca non mutant, ſed ad ea protinus revertuntur, & ex conſueto à teneris habitu naturæq; ingenerato inſtinctu priſtinam immanitatem recipiunt, fieri aliter non poteſt, quin motus hic fortior alterum elidat, hoc eſt, luporum, ac muſtelarum ſive martum potens feroxq; ſanguis ovium & gallinarum columbarumq; blandiſſimum minusq; activum intra dictorum animalium viſcera receptum ſanguinem ita obliteret, infringat ac obtundat, ut hunc in ſui quidem naturam convertat & commutet, ipſe autem nil quicquam, aut certè non niſi parciſſimè inde mutetur; quæ ipſa ratio videtur, quòd, quando transfuſus ſanguis imbecillior eſt illo, cum quo permiſceri debet,

nulla morum inde sequatur mutatio, nullaq; contingat notabilis noxa.

Hoc ergo si ita est, uti reverâ esse hactenus evicimus, quid vetat, audacter tandem concludere, quòd, quemadmodum sanguinem, sive is sit humanus sive beluinus, per os ingerere non licet; sic multò minùs liceat alicujus bruti adhuc calentem, vivum, animatum, & idealem illius animalis, cujus est, proprietatem referentem sanguinem in hominis venam immediatè transfundere, idq; ob argumenta, testimonia atque exitiosa usque huc adducta exempla.

Joh. Hartmannus *Prax. Chymiatr. c. 2.* sanguinem asini ex vena pone aures missum linteolo mundo, nulliq; antè usui adhibito, & quidem duos digitos lato, unumq; pollicem longo excipere, dein exsiccare, mox iterum aquæ fontanæ haustu diluere, hancq; tandem asinino cruore probè tinctam aquam, pro una dosi, per tres continuos dies, omni mane semel repetendâ in mania propinare jubet, testatus, se anno 1615. æstatis tempore fabrum quendam lignarium hoc ipso præsidio restituisse; id quod non solùm de Transfusione Sanguinis cogitandi ansam nonnullis jam olim præbuisse, sed & eandem hodienum admodum illustrare ac confirmare à nonnullis dicitur; à minori ad majus argumentum ducentibus, atque ratis, quòd, si asininus cruor in linteo exsiccatus, & aquâ fontanâ iterum dilutus maniæ me-

dexá

deri sciat, multò magis præstiturus idem sit, ejusdem auriti, torpidi nempe & melancholico tempamento præditi animalis sanguis tranquillus, & placatus, si is calens & asinino, id est, melancholico charactere suo adhuc gaudens immediatè in venam maniaci derivaretur, spe, fore, ut, contrarietatis ratione, quæ inter asini & maniaci sanguinem intercedit, ferociens, tumultuans, effrænus ac æstuans maniaci sanguis inde restinguatur, coerceatur atque tepescat. At enim verò ut taceam, anti-maniacum hoc præsidium nondum sufficientibus experimentis (una namq; hirundo non facit ver) adeo confirmatum esse, ut inter canonica antimaniaca remedia tutò illud referre liceat; animadvertere insuper contra præsentem positionem juvabit (1) quòd sanguis asini eo modo, quo Hartmannus jussit, usurpatus, in mania occurrenti indicationi sic quidem satis rectè; eâ verò ratione, quâ in Transfusione adhiberi deberet, nequaquam satisfacere videatur. Nam sanguis asini exsiccatus spirituosas activasq; portiones suas qualescunque jam amisit, & non nisi terrestrioribus, crassioribus ac fixis constat, quarum ille ratione, velut medicamentum præcipitandi vi pollens, (qualia in mania utrumque ferunt punctum,) maniaci sanguinis ferociam fortassis demulcebit ac compescet. At sanguis asini calens Transfusionis lege in venam maniaci derivandus spiritibus suis activis-

activisq; & volatilibus quibuscunque particulis adhuc turget, quæ, tantum abest, ut maniacum sanguinem refrænaturæ, ut potiùs eum novo quasi addito fermento magis concitaturæ, inq; majorem effervescentiam & inordinatiorem motum acturæ essent. (2) Quid? si cum animato asini quoque sanguine, cui ipsa idea & proprius animalis character immersus est, illius mores similiter, ut ex felini & porcini sanguinis potu contigit, aliquantùm traducerentur in hominem, sicq; ex maniaco fieret stipes, caudex, asinus? quod futurum anxiùs vererer, si asininus in hominem paulo largiùs transfusus sanguis maniaci sanguinem viribus superaret. Aliquot saltem guttæ autem, aut non nisi unica fortè uncia, asinini sanguinis si in hominem insereretur, vererer, ut inde quicquam resipisceret maniacus, aut aliquid sensurus esset commodi, eò quòd maniaci sanguis potentior asininum procul dubio in sui naturam converteret quidem, ipse verò ab imbecilliori mutaretur nil quicquam. (3) Aliud est, sanguinem exsiccatùm cum convenienti vehiculo, aut ex eo arte paratum medicamentum, adhibere, & aliud sanguinem nativo suo calore adhuc fumantem intrò assumere, aut in venam hominis immediatè transfundere. Sanguis hircinus exsiccatus quidem grumosum sanguinem resolvit, atteritq; calculum; & cervinus alvi fluxus quoscunque sistere dicitur; de alio-

rum

rum animalium sanguinibus, & ex iis præparatis variis medicamentis non contemnendorum multiplicium internorum atque externorum usuum ut nihil hîc dicam. Quis verò potentiùs adhuc grumosum sanguinem resoluturus, calculumq; attriturus hirci; aut alvi fluxum sine morâ cohibiturus, cervi, calentem sanguinem in venam ægrotantis immediatè transfundere ausit, idq; hâc sponsione, fore, ut Transfusio hæc non modò tutò fieri possit, sed & eadem ex ea eò certiùs speranda sit medela? Ita etsi concedatur, exsiccatum asini cruorem in aqua simplici solutum ac propinatum maniaco furori adversari; tamen nondum in liquido res est, etiam calentem ejusdem animalis sanguinem in maniaci venam commodè ac sine periculo derivari posse; cùm ingens sit discrimen, quod, uti dictum, inter hunc atque illum asinini sanguinis in mania se offert usum.

Commune axioma est, ab Aristotele profectum: Si senex haberet oculum juvenis, videret, ut juvenis. Ad eundem penè sensum audire videor hanc objectionem: Si senex haberet sanguinem juvenis, viveret, id est, tam vegetus esset, ut juvenis. Cur ergo senis sanguis, fissâ venâ, nō emittitur, ejusq; loco robusti juvenis, aut validi alacrisq; junioris animalis sanguis Transfusorii Artificii ope substituitur? Egregium per fidem! Inventum, cujus beneficio facere licet,

cet, ut ſenex juveneſcat! Anne humano generi gratior utiliorq; unquam obtigit medicina? Grata quidem utique, bone Vir! & utiliſſima omninò futura, ſi æquè exerceri Ars hæc poſſet, ac docetur. Sanguinem hominis juvenis omnem aut maximam ejus partem nemo Chriſtianus in ſenem juveneſcere cupientem elutriare audebit. Quid enim aliud ageret, quàm ut juvenem datâ operâ enecaret? quod carnificis aut latronis, non autem Chriſtiani Medici eſt. Imò utrumque dubio procul interficeret; & juvenem quidem, quia omnem aut maximam ſanguinis partem ei ſurriperet, ſine quo vita hominis ne momentum quidem conſiſtere poteſt; ſenem verò perimeret, quia eodem temporis articulo, quo ex ejus vena ſanguinem extraheret, (quòd neceſſariò fieri deberet, ut ſuccedenti locus daretur,) juvenis ſanguinem transfundere impoſſibile eſſet; unde intermedio temporis ſpatio ſanguine ſuo orbus immeritiſſimò Nabothi pœnam luere cogeretur, ſine commiſſo peccato. Omnis autem aut certè maxima ſanguinis pars ex juvene in ſenem derivari deberet, quia, ſi ſecùs fieret, etiam poſt celebratam hanc Transfuſionem, ſenex, juvenis ſanguinem habere, dici nequaquam poſſet. Et bruti junioris cujuſcunque ſanguinem ſenis venæ infundere partim cum eodem ſenis periculo conjunctum, partim etiam ideo inconſultum eſſet, quoniam, ut iterum repetamus, & hîc maxi-

mè

humano miſcela per Transfuſionem oriundis concepimus, perſuaſi, exinde potiùs ſalutem ac ſanitatis amiſſæ redintegrationem homini ſperandam eſſe. Huic ut ſatis faciamus dubio, neceſſe eſt, ſubmonere, illud, quod præcipuam inter omnes ſanguinum ſpecies conſtituit differentiam, non eſſe externam formam, nec tam promptè in oculos incurrere, ſed eſſe quoddam internum principium, à quo cujuslibet ſanguinis operationes potiſſimùm dependent, quod ſive ipſam animam voces, ſive flammam vitalem ſanguinem quaſi modificantem ac informantem, perinde erit. Ad hunc ſenſum D. Mauricius Hoffmannus, Vir quovis titulorum ſyrmate major, Fautor & Collega noſter Venerandus, *Prudent. Med. Diſputat. 6.* diſertè, ut omnia, Sanguis, inquit, licèt in viventibus ſanguineis omnibus ex flamma vitali maturante rutilet; non tamen omnibus unus idemq; habetur, ſed pro diverſitate flammæ animatæ ipſi cohærentis variat; hincq; pro me concludit, ideo ex ſanguinis adhuc ferventis cum alterius ſanguine communione ſive per os, ſive per vaſa, non poſſe non corporis priſtinum temperamentum in diſcrimen vocari, adeoq; animi mores, temperamentum ſequentes, mutationem ſubire. Nam, ut paulò curatiùs rem explicemus, quoniam cujuslibet animalis ſpecifica forma per ſanguinem potiſſimùm operatur, indeq; morum etiam ac temperamentorum diverſi-

tas resultat; necessario sequitur, inter ipsas quoque sanguinum species ingens occurrere discrimen; & aliter fieri non posse, quin ex calentis adhuc & animati beluini sanguinis per Transfusionem institutâ in hominem insitione, ob utriusque sanguinis dissimilitudinem & heterogeneam pororum ac figurarum constitutionem, non solùm perniciosa in homine pullulet dyscrasia, sed & temperamentum simul atque mores ejus immutentur; ut silentii sipario involvam, etiam accuratum oculorum examen adhibenti inter brutorum atque hominum sanguinem se aliquam manifestare solere diversitatem; quandoquidem ille ob cruditatem alimenti & caloris nativi plerunque crassior; hominum sanguis autem & quidem benè valentium, bonoq; corporis habitu præditorum comparatè loquendo per naturam, ob flammæ vitalis puritatem, ut plurimùm tenuior puriorq; reverâ deprehendatur.

Imò ne quidem rectè instituitur comparatio inter sanguinem bruti atque hominis in patinam effusum jamq; refrigeratum, eo quòd non refrigeratus & in patinam priùs effusus bruti sanguis, sed calens adhuc, & quidem immediatè, per brevem saltem tubulum, in hominis venam transfundi præcipiatur, sanguisq; refrigeratus & extra vasa sua delatus cruor potiùs dicendus, & non nisi κατὰ χρηστικῶς, nec propriè magis sit sanguis, quàm

quàm cadaver humanum homo eſt. Differt ergo utique inter ſe ſanguis beluinus & humanus propriè dictus; caduntq; & hi cauſâ ſuâ, qui ex diſſimillimâ falſoq; creditâ utriusque ſimilitudine pro Sanguinis beluini in hominem Transfuſione argumentum depromere ſatagunt.

CAP. VI.

Poſitiones, ſive argumenta aliquot ex ſacris & profanis Scriptoribus contra Transfuſionem afferuntur; quæ Romæ & Lutetiis Paris. interdicta eſt; & ab aliis etiam Cl. Viris improbatur. Duplici graviſſimæ occurritur objectioni.

HActenus in refutatione eorum argumentorum occupati fuimus, quæ vel reverâ à quibusdam eruditis aliàs Viris pro Transfuſionis Invento afferri novimus, vel pro eâ afferri poſſe viſa nobis ſunt. Nunc poſitiones quasdam adducemus, quæ nudè idem Artificium impugnare ac diſſuadere videntur. Non autem dicam, aliquot jam abhinc annis Romæ, &, nî fallor, Lutetiis quoque Pariſiorum publicè interdictum eſſe, ne quis poſthac circa ſanguinis è bruto in hominem Transfuſionem faciat experimenta, idq; dubio procul ideo, ut, cùm infelix plerunque, ſæpe etiam funeſtus ea exceperit eventus, alii cautiùs mercari, & beluinâ hâc Operatione penitùs in poſterum deſiſtere diſcant. Nec huc in

meas partes traham, quòd aliis etiam non inglorii nominis Viris novus hic, sanguinem à bruto in hominem elutriandi, modus non solùm à primo statim ejus exortu, ob prægnantes rationes, suspectus, sed & itidem indignus visus fuerit, quem posteritas imitetur; adeo, ut impensè mirari subeat, esse nihilominùs hodienum etiam in Germania, qui noviter excogitatam Artem hanc publicè extantibus Scriptis propugnare ac commendare ausint. Sed id potissimùm hîc loci agemus, ut, quæ restant argumenta, in nostræ sententiæ patrocinium congeramus, & sacrarum literarum non minùs, quàm profanorum Scriptorum, ex sanguinis naturâ eruendis testimoniis evincamus, beluini sanguinis, maximè, calentis esum usumq; internum homini interdictum atque noxium esse; ut hinc constet, multò minùs eum immediatè in venam hominis transfundere licere.

Ipse sapientissimus Deus, cujus consilia inscrutabilia sunt, non uno sacrarum literarum loco, Mystis suis præconibus, beluini sanguinis usum sub indignationis pœnâ humano generi prohibuit; ut videre est, *Genes. c. 9. vers. 4. Levit. c. 3. vers. 17.* & *cap. 7. vers. 26. 27.* itemq; *cap. 17. vers. 10. 12. 13.* nec non *cap. 19. vers. 26. Deuteronom. cap. 12. vers. 16. Samuel. cap. 4. vers. 33. & 34.* &c. Hæc interdictio etsi nobis sine ullâ additâ ratione sufficientissima, & tanta omnino esse possit, ut, ne latum

latum quidem unguem, ab ea discedere nobis liceat: Αὐτὸς enim ἔφα, cujus authoritas scrupulosissimis etiam sciolorum rationibus præstat, cujusq; oraculo nudè acquiescere tenemur; tamen *Levit.* imprimis *cap. 17. vers. 11. & 14.* ponderosissimam subnectit rationem, quòd nempe anima omnis carnis in sanguine sit; vel, ut nonnulli gravissimi interpretes, apud Thom. Bartholinum, de *Sanguine Vetito*, allegati reddunt, sanguis, maximè, brutorum, nil nisi ipsa anima, sive ψυχὴ καὶ πνεῦμα sit; unde nominatus, nec unquam satis laudandus Author, ubicunque, inquit, sanguis animalis, ibi ejusdem anima est. Ipsa quippe anima illius, nil nisi sanguis. Jam si hoc Dei præceptum, quod nondum ullibi verè abrogatum legimus, quodq; non paucos, quibus veteres mores hodieq; inter Christianos curæ cordiq; sunt, adhuc religiosè, ne feros mores vel induant, vel testentur, servant, esum duntaxat beluini sanguinis vetuit; ipsi judicent, qui nobis adversari fortè cogitant, annon optimo jure idem ad Transfusoriam quoque Chirurgiam applicare liceat, & annon multò magis, bruti alicujus spirantem, calentemq; sanguinem immediatè in hominis venam derivare, interdictum videatur?

Profanorum Scriptorum huc facientia testimonia quod concernit, præter ea jam suprà hinc inde in medium allata, notum est, sanguinem à quibusdam magni nominis Vi-

ris dici naturale animæ vinculum & instrumentum: visibilem animæ substantiam: animæ genium, & tantum non animam ipsam. Imò ex Aristotele *de Anima Libr. 1. text. 32.* constat, Critiam, Philosophum quendam, conceptis verbis sanguinem vocasse animam. Et Virgilius *Æneid. Libr. 9. vers. 350.* Rhœtum ab Euryalo ense confossum purpuream vomuisse animam, id est, sanguinem, canit. Andr. Libavius de *Indicio & Explorat. Homicid. nefar. ex sanguine interempti vi injustâ*, Sanguis, inquit, instar totius est: omnium enim membrorum potentias obtinet: & paulò antè: in sanguine, ait, videtur naturæ aliquis characterismus positus. Nec hinc abiit Jacob. Martini, *de Cognitione sui, Disputat. 1. Probl. 6.* qui itidem in sanguine characterem mysticum esse ex Oraculis divinis & sacrificiis vetustatis testatum facit; quæ omnia eleganter confirmat Andr. Vallesius, *Sacr. Philosoph. cap. 5.* quando quærit: quid est, quod ferveat per iram, fugiat per timorem, per mœstitiam pigrescat, per gaudium effundatur, per pudorem in faciem occurrat, quàm sanguis & vitales spiritus? Necesse igitur est, animam, cujus sunt hi affectus, in sanguine esse aliquo modo, quo in nullâ aliâ re eorum, quæ ad corpus nostrum pertinent; siquidem nulla alia ita movetur per animæ affectiones. Est igitur anima in sanguine modo quodam diviniori, quàm in ullo alio instrumento, quia nulla alia in re

 mani-

manifeſtiùs, quàm in eo operatur. Quin potiùs videtur, ipſe ſanguis, animæ proprias operationes operari, eſſeq; velut alia quædam anima corporalis & manifeſta, exprimens ſuis operationibus illam primam & veram animam. Hæc hactenus dicta etſi non omnia accuratam Philoſophorum limam ſuſtineant, certum tamen eſt, ad brutorum ſanguinem aptiùs quadrare, quàm ad ſanguinem hominis, qui divinioris utique naturæ animâ gaudet; quanquam & ipſe brutorum ſanguis ſpiritu plenus, ejusq; admiſtione calens elementorum naturam reverâ tranſcendat. Sanguis, inquam, calens, quem perpetuò hîc intellectum volo, probè memor, ſanguinem refrigeratum propriè non ſanguinem, ſed cruorem rectiùs appellandum, & de ſanguinis propriè dicti formali eſſentiâ eſſe, ut caleat, animatus ſit, & vivat. Interea nil vetat, quin vereamur, ne, ſi ſanguis bruti ejus animæ genius, imò inſtar totius eſt, id eſt, totius animalis proprietates atque naturam refert, omniumq; membrorum potentias obtinet, & naturæ characterismum impreſſum habet, humano ſanguini per Transfuſoriam Artem affuſus bruti naturam, genium, ac proprietates homini ita impreſſurus & affricturus ſit, ut hic ferinam inde naturam habitumq; fortaſſis aliquantùm induat, maximè, cùm ex Ariſtotelis, quem primo loco nominare debuiſſemus, *Libr. 2. de Anim. Part. cap. 3.* & 4. præterea

constet, cum sanguine semper communicari aliquid ejus naturæ, cujus propriè est sanguis.

Porro non prætereundum, sanguinem ad intellectum, rationem & prudentiam plurimum facere; quod Divi Hippocratis imprimis authoritate liquet. Ita namq; *Libr. 1. de Morb.* Sanguis, inquit, in homine maximam confert partem ad intellectum, nonnulli etiam dicunt, omnem: & *Libr. de Flatibus* edit. Foes. *p. 300.* existimo, ait, imprimis nihil magis eorum, quæ in corpore nostro sunt, conferre ad prudentiam, quàm sanguinem. Hic enim si in consistenti habitu, situ & naturali dispositione manserit, manet & prudentia; mutato verò sanguine, permutatur & degenerat prudentia. Atqui hoc ita se habente, quæ homini à transfuso bruti sanguine speranda prudentia? Si qualis sanguis, talis etiam ratio, nonne verendum, ne obliteratâ à beluino sanguine humanâ ratione homo obbrutescat, nec ultra brutum, amissâ ratione, deinceps sapiat? Mutatur enim hominis sanguis à traducto bruti sanguine, quam ipsam mutationem prudentiæ degeneratio, ex Hippocratis mente, sequitur.

Hîc autem duplex exsurgit difficultas, cui, antequam hinc abeamus, occurrere, non abs re erit. Una est, quâ objicitur, omnium animalium sanguinibus eandem adhærere flammam vitalem, nec unam ab alterâ differre, esseq; eam in brutis nihil aliud,

quam

quàm ipſam eorum animam; atque hinc ex transfuſo bruti in hominem ſanguine nullam metuendam animarum confuſionem, nullamque humanæ naturæ in beluinam mutationem, eo quòd bruti anima ſeu flamma vitalis ab hominis flamma vitali nihil differat. Verùm adhuc probatione indiget, omnibus animalibus unam eandemq; flammam eſſe vitalem. Dicere, non ſatis eſt, ſed & probare decet. Negabunt certè & pernegabunt alii plurimi. Et mihi quoque nequaquam videtur, certò potius perſuaſo, omnibus quidem animalibus brutis unam eandemq; ingeneratam eſſe genericam formam, ſed ſingulis eorum ſpeciebus ſpecificam præterea datam eſſe formam, pro cujus diverſimodâ varietate ipſa quoque flamma vitalis & ſanguis, nec non exinde potiſſimùm reſultans temperamentorum & morum conſtitutio, variet. Secundum hanc ſpecificam ſive peculiarem formam quodlibet animal eſt, quod eſt, differtq; unum ab altero, ſine quâ ſi eſſet, nec canis à fele, nec agnus à vitulo differret. Secundum genericam enim ſive univerſalem formam ut omnia bruta inter ſe conveniunt, nempe in brutalitate, ita nec ſanguinem, nec ejus vitalem flammam ſecundum eandem variare dici verè poterit. At ſpecifica cujuslibet bruti forma ſanguinem ejusq; flammam vitalem ita informare ac modificare videtur, ut non poſſit non inde quoque ſanguinis flammæq; vita-

 lis

lis varietas contingere, quam certò, testantur & arguunt varia animalium temperamenta, & varii eorum mores. Nam quâ aliàs fronte Aristoteles *loc. cit.* asserere potuisset, cum sanguine communicari aliquid ejus naturæ, cujus propriè est sanguis; aut Libavius: in sanguine naturæ characterismum positum esse; nisi uterque intellectum voluisset, cum sanguine animalis proprios simul ejus mores, à specificâ formâ dependentes & ex peculiari crasi fluentes communicari. Sic illa Uratislaviensis puella ex ingurgitato felino sanguine non generaliter feritatem, sed felis in specie naturam atque mores, prout jam suprà relatum, sibi contraxit. Sic ille superiùs memoratus suillo sanguine pastus, non generalem bruti naturam, sed porcorum speciales mores induit, &, ut illud ipsum animalium genus solet, luto similiter ad fastidium usque se delectavit, teste Sperlingio, *Institut. Physic. Libr. 1. c. 3. ad Precept. 3. p. m. 82.* Haud secùs in aliis quoque suprà adductis contingit exemplis. Sic deniq; canes naturâ mitissimi, calido bestiarum cruore hausto, earundem peculiarem indolem imitari discunt, similiterq; mordacissimi, & non tantùm ad pecudum instigationem, sed & ad leporum propulsionem utilissimi fiunt.

Nondum itaque nos pœnitet, jam suprà dixisse, & sanguinem & flammam vitalem in animalibus plurimum variare. hincq; etiam-

num

num arguimus, ex transfuso in hominem fervido, vivo, vitalisq; flammæ & spiritus saturo, vel, ut Helmontius *Magnet. Vulner. Curat.* §. 156. & 170. effert, animam adhuc continente, bruti alicujus sanguine perniciosam animarum confusionem & beluinorum morum traductionem omninò metuendam esse, cùm bruti anima seu flamma vitalis ab hominis flammâ vitali utique differat.

Alterâ difficultate quæritur, utrum bruti in hominem derivatus sanguis hominis sanguinem mutet, an potiùs ille ab hoc mutetur? Illud communiter fieri creditur; quandoquidem in hâc mutatione præcipuus Transfusionis usus consistere ab ejus Patronis putatur, huncq; ipsum in finem bruti integer ac intaminatus sanguis in hominem malè se habentem ac infirmum traduci præcipitur, ut ille hominis corruptum sanguinem immutet, hoc est, corrigat; quod certò futurum perhibetur, quòd bruti sanguis illibatus, adeoq; potentior hominis sanguinem vitiosum, hincq; viribus inferiorem, factâ utriusque in hominis vasis miscelâ, facilè subjugare, in sui naturam convertere ac emendare posse videatur, maximè, si paulò plus beluini sanguinis in hominem derivetur. Hoc autem ubi evenerit, nonne iterum verendum, ne beluinus sanguis dominium in homine potitus bruti sui naturam, quam refert, atque mores, simul ei affricaturus sit? Nihil enim est, quod Vir quidam Cla-

rissimus

rissimus in doctissimis ad me aliquando datis literis suis regessit: hoc non metuendum esse ex parte tantùm beluini in hominem transfusi sanguinis, sed tum demum, si omnis bruti sanguis in hominem elutriaretur, quòd specifica animalis forma per universam sanguinis massam diffusa exeuntem è venis sanguinis partem deserat, inq; residuo sanguine remaneat. Sed partem etiam, & non tantùm totam sanguinis massam sacra Scriptura supra *cit. locc.* ob jam aliquoties commemoratas rationes comedere prohibuit. Nec credibile est, Aristotelem intellexisse, cum totâ sanguinis massâ aliquid ejus naturæ communicari, cujus propriè est sanguis, sed sine omni dubio, cum parte etiam tantùm sanguinis. Accedit, quòd nihil obstet, quo minùs etiam de brutorum animâ affirmemus, eam totam esse in toto, & totam in qualibet parte, idq; eò audaciùs, cùm anima brutorum æquè ac vegetabilium suo modo divisibilis sit, ac sui multiplicativa.

Alii verò defendere malunt, factâ beluini sanguinis in hominem Transfusione, illum potiùs ab hominis sanguine mutari in sui naturam, cumprimis, si aliquot saltem illius guttæ, aut una tantùmmodò atque altera uncia in hominis venam immissa fuerit, rati, quemadmodum una tantùm mensura exquisitissimi & delicatissimi saporis vini totam amphoram vini acescere incipientis aut al-

terius non adeo boni ſaporis emendare ac reſtituere neſcit, ſed ſimiliter

ſincerum eſt niſi vas, quod, cunq; in fundis aceſcit;

ita etiam paucam beluini ſanguinis in hominem inſerti quantitatem, à præexiſtente hominis ſanguine mox in ſui naturam raptum ac commutatum iri; atteſtante id etiam elegante experimento, quo conſtat, ſanguinem ſcabioſi canis in boni habitus canem derivatum ab hujus ſanguine ita immutatum eſſe, ut ſcabiei nullam prorſus notam in illo cane, qui ſcabioſi canis ſanguinem recepit, deprehendere licuerit; haud obſcuro indicio, ſanguinem canis ſcabioſi alterius canis ſanguinem nequicquam alteraſſe, ſed illum potiùs ab hoc alteratum eſſe. At hoc ſi contingit, nullum video uſum Transfuſoriæ Chirurgiæ, nullumq; emolumentum, quod ex ea in hominem redundet. Quid ergo? An ne fortaſſis mediâ viâ incedere, ac dicere libet, ſanguinem bruti hominis venæ infuſum partim hominis ſanguinem alterare, partim etiam per reactionem alterari? Sic verò non tanta, nec major efficacia ex Transfuſione ſperanda, quàm ex vulgaribus morbo ritè oppoſitis medicamentis. Ut adeò ob ſolam elementitiam humani ſanguinis alterationem non laborioſam illam & periculo pleniſſimam Operationem adhibere, neceſſe, ſed medicamentis tantùm uti conſultiùs, videatur. Itaque quoquo ſe verterint, caput allident, nihilq; agent; ſive

hoc, non

hoc, sive illud, sive istud, dicant. Prius autem quia plerisque placet, & fundamenti quasi loco pro asserendo Transfusoriæ Artis præcipuo usu habetur, ideo, si fieret, exinde metuenda damna, aliquot insuper similibus, quibus nostra, contra Transfusionem, sententia, si non probari, certè tamen illustrari posse videtur, ulteriùs Capite sequenti ostendere conabor.

CAP. VII.

Aliquot Similitudinibus nostra sententia contra Transfus. Sanguin. illustratur.

PAuxillæ saltem prolifici utriusque seminis in fœcundo utero invicem copulati guttulæ illius animantis, à quo defluxére, ideam quasi in se continent, hincq; totum sibi simile, id est, ut Aristoteles, *de Generat. Animal. L. 1. c. 18.* explicat, cùm quoad corpus, tum quoad animam, producere aptæ natæ sunt. Quid nî ergo bruti sanguis, ad plures sæpe uncias, isq; animæ suæ præsentiâ non minùs turgens, hominis venæ brevi saltem intermedio tubulo instillatus ectypam quasi sui imaginem ita in homine relinquere possit, ut verendum sit, ne is similiter in idem penè brutum inde degeneraturus sit?

A pyro divulsus ramulus, pomoq; insertus, suam indolem non mutat, inq; pomo non poma, sed pyra facit. Sic vero consentaneum

neum videtur, sanguinem bruti in hominem derivatum, suam non exuturum beluinam naturam, inq; homine non humanas, sed beluinas potiùs, tanquam fructus, editurum esse actiones.

Ita plantæ quoque semen formam atque animam totius plantæ complectitur, suiq; simile, fœcundæ terræ commissum, propignere solet, sine destructione aut corruptione plantæ; cujus anima etsi per se non sit quanta, dividitur tamen suo modo ad divisionem materiæ, & una numero actu existens, multiplex est potentiâ, sitq; actu per semina multiplex, ad subjecti corporis divisionem, docente id nos fidelissimo Dan. Sennerto nostro *Hypomnem. Physic. I, cap. 3.* sub fin. Pari ratione sanguis bruti calens, Transfusionis lege, in hominem propagatus, totius bruti ideam comprehendere, eamq; homini ita imprimere posse videtur, ut similes bruti actiones in homine inde pullulent, idq; sine interitu ipsius bruti, quippe quod suam numero tantùm unam animam nihilominus retinet, ut ut eam per generationem & hanc sanguinis fortassis insitionem, quâdam quasi divisione, in aliud etiam corpus traducere posse videatur; consimili dubio procul modo, quo flamma candelam, eodem lumine translato, accendit, sine sui extinctione.

Canis rabidus morsu suo, per salivæ communicationem, eosdem penè homini aspergit affectus, quos sibi proprios habet, faciáq;

citáq;

citq;, ut homo non minùs, ac ipſe ſolet, aquas, & quævis propemodum liquida, abhorreat, obvios torvùm intueatur, & quidem rubentibus oculis, notos ignotosq; dentibus impetat, ſpumam ex ore emittat, linguam exerat, nonnunquam etiam latret, aliaq; hydrophobis familiaria patiatur ſymptomata, idq; non aliunde, quàm quòd rabidi animalis ſaliva, velut peregrinum ac peculiare quoddam fermentum, ſanguinem præcipuè ſpiritusq; hominis impetuoſiſſimè concitet, & potenti ſuâ activitate in ſui quaſi naturam convertat, atque hinc hominem in ſimilem furorem agat. Haud multò ſecius ſanguis bruti in homine quoque priſtinas facultates ſuas retinebit inq; actum deducet; adeo, ut pòſt homo, ſanguine ſuo inde adulterato, ejusdem bruti affectiones imitari diſcat.

Sic etiam Tarantula morſu, cum viroſo humore, quandam potentiam animæ ſuæ, quæ itidem ad habitudinem materiæ diviſibilis habetur, in hominem ſimul transfert, hincq; ei non modò amorem ejusdem rerum coloris, quo mordens beſtia nitet, ingenerat, ſed & facit, ut Tarantismo affectus eodem Muſicæ modulo delectetur, & ad choreas invitetur, ad quem Tarantula, quæ morſum inflixit, tripudiare ſolet. Ad hunc modum quin bruti ſanguis hominis venæ infuſus, in hoc illius animæ præſentiam per actiones beluinas manifeſtare poſſit, nulli penè dubitamus.

Canta-

Contagiosorum morborum ea est natura, ut in aliud dispositum corpus facilè transeant, eiq; , translato eodem contagio, homogeneam inferant affectionem. Cùm itaque contagiosum hoc seminarium, quod sive peculiarium fuliginum, sive atomorum, aut minimarum particularum formâ, ab eo, qui contagioso morbo laborat, in aliud subjectum transiit, tantæ est efficaciæ, ut, huic communicatum, eundem affectum, quo detinebatur is, à quo emanavit, vitali nectare à pristino statu ad sui quasi naturam flexo, affricare valeat; cur vitio nobis vertatur, si suspicemur, sanguinem bruti recentem, activum, potentemq; humano sanguini affusum, ei suam energiam ita impressurum, ut homo, inde ad bruti naturam vergens, ejusdem actiones, quæ ab anima per sanguinem fiunt, deinceps æmulaturus sit?

Deniq; quemadmodum medicamenta, præcipuè occulta vulgò dicta, non solùm caliditate, frigiditate, humiditate aut siccitate, sed potissimùm specificâ, formali & peculiari qualitate, quâ sunt, quod sunt, quâq; à se invicem distinguuntur, in corpus nostrum operantur, eamq; non amittunt; ita censendum, sanguinem bruti, in hominem derivatum, non solâ caliditate, frigiditate, humiditate aut siccitate in humanum sanguinem acturum, sed specificam suam proprietatem simul invecturum; adeò, ut postea

secundum eam in homine etiam acturus sit id, quod egit in bruto: quo non potest aliter fieri, quin insolens in corpore non temperamenti solùm, sed & morum haud rarò fiat mutatio.

Hæ hactenus in medium productæ similitudines etsi, ut omnes solent, in quibusdam nonnihil claudicare, suasq; pati instantias videri possint; tamen, si suo sensu applicentur, mentem nostram non parum illustraturas confidimus.

Cap. VIII.

Reliqua damna atq; pericula ex Transfusione metuanda in medium proferuntur.



Uperest, ut, quæ restant, damna atq; pericula ex beluini sanguinis in hominem Transfusione metuenda porrò breviter persequamur; quæ inter primo loco illud nominandum, quòd verendum sit, ne illo animeli, cujus sanguis in hominem traductus est, vel graviter ægrotante, vel ipsam vitam cum morte commutante, ipse quoque homo, qui istius animalis sanguinem intra venas suas fovet, ob mutuam sympathiam, aliquid adversi in corpore suo similiter sensurus, vel vitam etiam cum morte commutaturus sit; id quod futurum, per aliquot haud contemnenda phœnomena declarare placet.

Artificialis nasus, pro tollenda deformitate

tate ejus, qui genuino naſo orbatus eſt, à Caſp. Taliacotio inventus, putredine corrumpi ac decidere dicitur, quamprimùm ille, ex cujus carne naſus iſte factitius conſtat, ſupremum diem obit. Titius ex Claudii intra carnem ſuam concluſis aliquot ſaltem ſanguinis guttulis, ob ſingularem magnetiſmum, Claudii fortunam, valetudinem & obitum reſcire poſſe creditur. Non ſecus ac Veteres, pro confirmandis fœderibus, mutuum potaſſe ſanguinem legimus; ut inter utrumque ex ſanguinis arcanâ conſpiratione perpetua ſtabiliretur amicitia. Hos nonnulli etiam moderni ſeculi imitantur, mutuâ ſanguinis communicatione amicam ſui memoriam ſimiliter invicem commendantes, ſpe, fore, ut etiam inter abſentes certis notis ea perennet. Et, ut fide digniſſimi Authores referunt, Burggravius ex ſanguine humano lampada confecit, quæ, ſemel accenſa, jugiter ardebat, quoad homo ille, è cujus ſanguine parabatur, vitalem duxit ſpiritum: extincta autem eodem horæ momento eſt, quo ille obiit. Is, cujus ſanguis venæſectione extractus malè tractatur, exinde aliquod in ſe quoque nocumentum ſentit: obq; hanc ipſam cauſam ſanguis emiſſus torrenti committi ſolet. Hinc etiam, ex lactis in ignem effuſione, uberum dolore afficitur illud animal, cujus lac eſt. Et, combuſtis alvinis excrementis, is, cujus ipſa ſunt, ex inteſtinis laborare incipit. Imo ſurculus quoque, per

insitionis modum arbori implantatus, plerunque deficit, deficiente ipsâ arbore. Et quæ sunt hujus commatis alia Transplantationis & mirabilis sympathiæ exempla. Ex quibus haud difficulter colligere est, quanto cum periculo è bruto in hominem celebretur Transfusio, & quidem eò majori, quò illa animalia, quæ ad hanc Operationem adhiberi solent, brevioris, præ homine, plerunq; sunt vitæ.

Deinde, sive sanguis bruti hominis partes nutrire, sive non nutrire posse dicatur, utrinque periculum imminet. Et quidem ibi, quia sanguis bruti omnium ejus membrorum potentias obtinet, hincq; verendum est, ne, nutriendis hominis membris subinde appositus, tandem ea secundum suas potentias transformaturus, & in beluinam propemodum speciem conversurus sit: idq; non sine fœdâ dedecoratione, & inæstimabili damno; cùm nutritum nutrientis naturam nunquam non sequi soleat. Atqui nutriens hîc ejus animalis sanguis est, cujus membra ab hominis membris conformatione plurimùm discrepant; unde, quin illæ sanguinis istius particulæ, quæ solummodò vituli aut agni carnem cutemve hirsutam nutrire aptæ natæ sunt, hominis carnem cutemve turpiter defœdaturæ sint, nullum pene est dubium; quomodo jam supra, in hædis & agnis, ex inverso lactis tantùm nutricatu talem lanæ degenerationem contingere

tingere ſolere, ex Gellio retulimus.

Si verò ſtatuatur, quòd, quemadmodum ſimile animal non generatur à diverſæ ſpeciei ſeminibus, etſi utrumque ſemen colore & ſubſtantiâ inter ſe ſit ſimilimum; ita ſanguis illius quidem animalis, in quo generatus eſt, non autem alterius ſpecie ab illo differentis partes nutrire poſſit, licèt hic ſanguis ab illo ſanguine quoad ſenſum externum ſimiliter nihil differat; idq; ob hanc præterea rationem, quòd cujuslibet ſanguinis ideales & ſingulariter ſignatæ particulæ, huic vel illi corporis parti alendæ dicatæ, ſuam figuram ſuumq; characterem mutare, aliamq; propriam diſpoſitionem recipere debeant, ſi velimus, ut aliûs etiam animalis partibus nutriendis aptæ reddantur; id quod autem quia impoſſibile, impoſſibile etiam quibusdam videri poſſit, ut ſanguis bruti nutriat partes hominis. Hoc, inquam, ſi ſtatuatur, hui! quàm ingens iterum metuendum damnum.

Nam ut de illis incommodis, quæ hominem ideo manent, quia raró bruti atque hominis, in quo Transfuſionem celebrare animus eſt, exactè ſibi invicem reſpondet temperamentum; metus præterea eſt, ne ſanguis bruti, in hominem transfuſus, dum hujus partes non nutrit, vitium contracturus, multorumq; malorum fons & origo futurus ſit: quandoquidem ex maximè heterogenearum inter ſe portionum ſanguinis belui-

ni & humani, puri item & impuri in humano corpore miscelâ non potest non sanguinis turbatio, fermentatio, & non modò febrium incendium, sed & alia inde pronasci solita symptomata, pessimis ejus hominis, in cujus corpore hæc contingunt, concitari.

Ultimò sicut Hippocrates scribit, & experientia testatur, sanguinem, sicubi extra propria vasa sua digressus fuerit, vitium capere ac concrescere; ita non levis suspicio incidit, bruti sanguinem, per canaliculum in hominem derivatum, in hoc velut extra vasa sua non minùs constitutum, nî suam indolem retineat (retinet autem adhuc majori cum hominis pernicie) labem similiter contracturum, & cum ejus hominis, in cujus venis tale quid contingit, ingenti damno coiturum esse. Nec est, ut quis hîc inferat, sanguinis motum, dum is ab uno animali in aliud transfunditur, neutiquam intercipi, nec in illis canalibus, per quos sanguis transmeat, modò probè incaluerint, nullumq; intra cavitatem suam aerem admittant, ullo modo inhiberi, adeoq; nullam sanguinis beluini concretionem in hominis sanguifluis vasis metuendam esse. Utiq; enim adhuc inconcussa Hippocratis videtur sententia, quâ docuit, sanguinem vasis suis, propriis scilicet & adæquatis, elapsum corrumpi. Propria autem & adæquata, pro continendo hominis sanguine, vasa, nec canales qualescunque, etiamsi calefacti, nec va-

sa bruti esse possunt. Siquidem cujuslibet animalis sanguinis vasa propria & adæquata illa solummodò sunt, quæ illud animal per corpus suum dispersa habet. Ita vasa propria Petri, Petri vasa sunt, & non Pauli; multò minùs alicujus bruti. Hinc sanguis bruti, per canales in hominem derivatus, propriis vasis suis omninò egressus videtur, non sine metu, ne eo, quo diximus, modo, juxta Divi Senis nostri latum effatum, coiturus, & humano corpori multifariàm incommodaturus sit.

CAP. IX.

Transfusio Sanguinis ex homine in hominem duplici modo fieri potest: nec approbatur, nec improbatur, sed in medio relinquitur, & ad experientiæ examen relegatur.

Coronidis quasi loco succinctum annectere placet Discursum, de tertia Transfusionis Sanguinis specie: intellige illam, quæ fit ex homine in hominem. Hujus duplex methodus atque ratio est. Primam Clariss. Johann. Daniel Major, *Delic. Hybern. Nov. Invent. Medic. H.* brevi velut sciagraphiâ exhibet, & primus articulatè, his penè verbis descripsit: In promptu „ sint duo homines, quorum alter athletico, „ hoc est, carnoso, sanguineo ac valdè salu- „ bri corporis habitu gaudeat; alter verò „ valetudinarius sit, & pravis humoribus „

 abun-

,, abundet. Prægreſſâ blandiusculâ alvi
,, laxatione, utrique ligatura fiat in brachio
,, dextro vel ſiniſtro. Locentur ſic, ut ſibi
,, faciem obvertant, & brachia eorum ligata
,, decuſſatim ſibi admoveantur, cùm opus
,, eſt, h. e. quando Inſtrumentum Infuſorium
,, mox mox applicandum erit. Vena
,, enim utrique priùs ſecanda eſt, ordine ſequenti:
,, Primùm aperiatur vena per lanceolam
,, Valetudinario, & permittantur effluere
,, ſanguinis unciæ tres, quatuor, plus
,, minùs. Elapſis his, ſolvatur ligatura, & in
,, loco humiliori brachii, infrà foramen,
,, venæ inflictum, rurſus adſtringatur, ut Inſtrumentum
,, Infuſorium, mox deſcribendum,
,, quoad anguſtiorem ſui extremitatem,
,, intrudi in venam, nec ab affluente
,, ullo, ex regione manûs extremæ, ſanguine
,, multùm perturbari poſſit. Inſtrumentum,
,, foramini ſectæ venæ inſertum, ab Adminiſtro
,, tantiſper quietim teneatur, ne
,, retrorſum tendat, usque dum vena alteri
,, quoque homini ſecta ſit; id quod ſine amplioribus
,, moris fieri debet. Continuò
,, itaque vena etiam ſano homini ſecetur, ut
,, ſanguis profluat ad totidem circiter uncias,
,, ſed cum hac differentiâ, ut hic poſterior
,, ſanguis effluens externum aerem non
,, attingat, quia in uſum Medicum converti,
,, & derivari per Inſtrumentum in venam
,, valetudinarii hominis debet, ut is in meliorem
,, valetudinis ſtatum reducatur.

Instrumenti autem species ita formata „ requiritur : Fiat Canalis vel Tubulus ar- „ genteus, longitudine circiter duorum di- „ gitorum (loquor hîc physicè, & digitos „ intelligo non geometricos, sed vulgares, „ ad manum pertinentes, annulares vel in- „ dices) amplitudine æquali, & qui qua- „ tuor, quinque vel sex uncias aquæ, vel „ liquoris alterius, possit capere. Ita orifi- „ cium anterius respondebit præter propter „ orificio cucurbitulæ vitreæ minoris. Et „ quemadmodum cucurbitulæ vitreæ arctis- „ simè cuti affiguntur; ita Instrumentum „ istud Transplantatorium etiam notabili „ orificio gaudere debet, quo cutim in bra- „ chio hominis sani arctè complectatur, & „ missum ex vena sanguinem, statim atque „ vena secta est, recipiat, ne quicquam il- „ lius foràs prolabatur. Alterum verò ori- „ ficium Instrumenti non patére, sed maxi- „ mam partem clausum esse convenit, nisi „ quod in canaliculum subtilem, brevem, & „ curvum terminetur, qui venam sectam ho- „ minis valetudinarii initio statim subeat; „ ut paulò antè innuimus, & transmissioni „ inserviat sanguinis, ex corpore hominis „ sani derivandi. Ubi itaque duo isti homi- „ nes, debito modo collocati, &, mediante „ Instrumento hoc, quoad brachia sibi „ juncti, magnam Inventi nostri partem dex- „ trè admiserint, atque ex vena hominis sa- „ ni jam tantum sanguinis effluxerit, quan- „

,, tum replendo canali sufficere, ex tempo-
,, ris intercedentis mensurâ exercitatus ve-
,, risimiliter colligit Chirurgus; tum homo
,, sanus dimittatur, venaq; secta eidem ab
,, Administro aliquo obligetur. Ipse Chirur-
,, gus verò agili manu orificium Instrumen-
,, ti obtegat, ne aliquid sanguinis promanet,
,, vel partes ejus qualescunque spirituosio-
,, res transpirando in auras eant, & cruor
,, exanguis in tubulo relinquatur. Hinc
,, continuò embolum vel scapum intrudat,
,, qui suâ crassitie & rotunditate cavitati tu-
,, buli exactè respondere debet. Usus ejus
,, est, ut, quò profundiùs (sensim tamen,
,, nec violenter) intrusus in fistulam fuerit,
,, sanguine repletam, eò magis magisq;
,, idem sanguis in venam Valetudinarii de-
,, rivetur. Atque ut hæc Sanguinis Trans-
,, fusio feliciùs succedat, utq; tantò minus
,, sanguis ad ullam sui concretionem intra
,, tubulum inclinet, inspergi priùs intrò pos-
,, sunt Salis volatilis Cornu Cervi, vel flo-
,, rum Salis Ammoniaci grana aliquot. Præ-
,, terea extrinsecus etiam, circa ambitum
,, tubuli transplantatorii, posset quid admo-
,, veri, unde sanguinis per ipsum derivandi
,, fluor conservetur: carbo ardens videlicet,
,, sicut prope fornaculam Chymicam acci-
,, dit, ut, in destillatione Butyri Antimonia-
,, lis, forinsecùs rostro retortæ carbo vivus
,, admovetur.

Alterius, sanguinem ab homine in homi-
nem

nem transfundendi, Methodi ante plusculos annos meminisse recordor suprà laudatum Mauricium Hoffmannum. Nimirum uterque homo, sellæ insidens, latus lateri ita invicem conferat, ut ejus, qui sanguinem dat, dextra manus sinistræ manui recipientis sanguinem quàm proximè adaptari possit, sicq; dantis dextrum latus recipientis sinistrum latus tegat. Tunc utriusque vena extantior, in dorso manûs, vulgari phlebotomo, tundatur; & quidem primùm illius, qui sanguinem dat; mox etiam illius, qui sanguinem recipere debet. Hoc facto, actutùm, ac sine ulla morâ ejus, qui sanguinem dat dextræ in dorso manus incisæ venæ brevissimus, isq; non incurvatus, sed rectus & simplicissimus ejus materiæ, quæ huic Operi accommodatior videbitur, quàm fieri potest agillimâ manu, insinuetur tubulus; & quidem alterâ extremitate versus extremos digitos directus; altera verò ejusdem tubuli extremitas illius, qui sanguinem recipit, sinistræ in dorso manus venæ, cubitum sive cor respiciens, eâdem dexteritate, unoq; quasi ac eodem momento immittatur; probè nunquam non cavendo, ne aër fortè illabatur, aut sanguinis viva virtus longiori morâ aliquantisper evanescat.

Transfunduntur autem hâc methodo non plures unciæ, sed paucæ tantùm guttæ sanguinis. Hæ enim, quia animatæ sunt, summæq; activitatis, ideo sufficientes esse creduntur.

duntur; quæ minùs sanam mentem, minusq; rectè se habens corpus ejus, in quem transferuntur, quasi per insitionem, restaurare, massamq; ejus sanguineam, velut novo impregnatam fermento, in contrariam dispositionem cogere possint; quod futurum facilè speratur, cùm pauca etiam tantùm fermenti grana satis magnam massam inquinare ac alterare queant; & ex minima duntaxat scintillula ingens exsurgere possit flamma.

Et is homo, à quo sanguis in alium transfertur, sanæ mentis saniq; corporis, & optimi ac saluberrimi habitûs, quin & præterea ejus naturæ, complexionis ac temperamenti sit, cujus sanguis sanguini ejus, cui ille affundendus, qualitatibus contrariari putabitur. Ita Melancholico animosi, alacris, lætiq; Juvenis sanguis infundendus; Maniaco verò, phrenetico aut furioso mœsti, demissi, melancholici, aut fortassis hypochoridriaci aliquot sanguinis guttas instillare, vi contrarietatis, præstabit; quò pòst felix à morbo in sanitatem, velut in contrarium, succedat mutatio.

Cæterùm utriusque hactenus descriptæ methodi maximam partem una eademq; finalis causa, seu idem usus esse dicitur, in quorundam, curatu aliàs admodum difficilium morborum curatione potissimùm consistens, & quidem nominatim eorum imprimis, qui à graviori sanguinis vitio aut corruptione dependent, nec non eorum, qui hære-

hæreditarii dicuntur, itemq; epilepfiæ, lepræ, rabiei, luis Venereæ, arthritidis, &c. Pro his, inquam, fimilibusq; morbis vel infringendis, vel pellendis nova hæc, ex homine in hominem fanguinem transfundendi Ars præcipuè laudari confuevit. Imò & fenectutem integrâ fanitate gaudentis Juvenis fanguis dicto modo transfufus retardare nonnihil poffe creditur. De fingulari illo ufu, quem ex hoc fanguinis ab homine in hominem Transfufione fperandum nonnulli autumant, ut nihil hîc dicam. Perhibent autem, hac Sanguinis communicatione etiam disfidentium fratrum Germanorum, aut Conjugum difcordes animos conciliare licere. Sed de quo judicium meum qualecunque fufpendere malo, quàm, cum Doctiorum offenfâ, præcipitanter ferre, fatius fore ratus, circa hanc Transfufionis fpeciem in genere, quoad fingulos ejus ufus, experientiæ judicatum prius exfpectare.

Nam etfi religioni neutiquam mihi ducam, palam confiteri, hanc Sanguinis Transfufionem, ex homine in hominem quæ celebratur, præ illâ, quæ è bruto in hominem exerceri confuevit, & naturæ ipfi convenientiorem, & homini utiliorem futuram, & cum minori conjunctam videri periculo; tamen pro indubitato ac infallibili præfidio, experimentorum certitudine deftitutus, præfractè jactitare nondum audeo. Non hîc tam perniciofa metuenda animarum confufio, indeq;

indeq; resultans morum abominabilis mutatio. Non verendum, ne nutritionis exinde contingat fœda degeneratio. Non verendum, ne sanguis humanus in sanguine humano tam facilè putrescat, coeat, vitium capiat, maximè, si guttatim tantùm transplantetur. Nec denique verendum, ne vel ille, qui sanguinem dat, vel qui sanguinem recipit, aliud gravius damnum sensurus sit. Solus etiam ille metus, qui ibi concipitur, ne, deficiente illo, qui sanguinem communicat, deficiat & alter, qui sanguinem recepit, tantus hîc non est, partim quia sanguis vel parciùs, vel guttatim tantùm, à benè valente in ægrum derivatur; partim quia nunquam non homo incorruptâ sanitate præditus eligitur, à quo sanguis ducatur in infirmum; adeò ut spes lucida affulgeat, illum longiorem hôc victurum esse vitam.

Hinc nequaquam audiendi sunt illi, qui asseverare non erubescunt, sanguinem brutorum, præ hominum sanguine, ad Transfusionis Opus accommodatiorem esse. Falsum est, quòd bruti sanguis purior sit, quàm sanguis hominis optimè se habentis & planè integri. Et quamvis bruta pro lubitu locare, ligare, imò etiam sine piaculo, pro hominis usu, enecare, &, quæ modò placet, sanguiflua eorum vasa aperire licet; tamen graviora ex beluini sanguinis Transfusione imminent superiùs hinc inde commemorata plura damna, quàm ex hominis in hominem

Trans-

Transfusione, quippe quæ sine omni certè periculo, tutoq; & æquè facilè celebrari posse videtur; etiamsi vel maximè is ipse ejus usus, quem Medicus intendit, non usque succederet. Taceo, quòd nec homo uterque laboriosè ad Operationem accommodari, aut difficili molestâq; positurâ multùm excarnificari debeat. Quin & hîc vulgari tantùm phlebotomo, prout in venæsectione fieri assolet, utriusque vena incidenda, sine dolorosa excoriatione, aut periculosâ ejus denudatione; ut adeo major hîc, quàm ibi, non requiratur apparatus. Quid? quòd hic faciliùs præterea exerceri posse videatur Operatio; cùm quia homo semet ipsum accommodare potest, &, ut convenit, locare; tum etiam quia hîc, & imprimis in Hoffmannianâ Methodo, non tot sanguinis unciæ, aut libræ ex eo, qui alterius sanguinem intra venas suas recipere decrevit, priùs extrahendæ sunt; quemadmodum ibi fieri debet. Ad hæc hîc quoque miscela utriusque humani sanguinis multò facilior, sineq; tantâ turbatione speranda. Nam ut inter animam hominis & hominis major utique convenientia ac paritas est, quàm inter animam bruti & hominis; ita inter sanguinem flammamq; vitalem, sive calidum nativum duorum hominum major se offert similitudo, quàm inter sanguinem flammamq; vitalem, sive calidum nativum bruti & hominis; ut adeò non possit non duorum homi-

hominum ſanguis faciliùs, & ſine tam periculoſa mutatione, ſe invicem permiſcere, ac ſanguis bruti & hominis ſe invicem miſcet.

Denique ſi, quod primo loco dicendum fuiſſet, Veterum authoritati aliquid tribuendum, Ovidii, Marſilii Ficini, Andr. Libavii, & imprimis Johannis Collis, de transfundendo ſanguine latum qualecunque teſtimonium multò rectiùs huic ex homine in hominem, quàm è bruto in hominem inſtituendæ Transfuſioni, ſuo modo, quadantenus applicare licebit. Quis enim horum Authorum ſanguinem è bruto in hominem derivare jubet? Jubent autem ſanè, ut hominis proſperrimâ valetudine affecti ſanguis in hominem aut morbo aut ſenectute confectum, & vel convaleſcere, vel juvaneſcere cupientem, traducatur.

Fiant ergo crebriora, circa hanc Transfuſionis Sanguinis ſpeciem, experimenta, quando, ut diximus, innoxiè, vel certè ſine tanto periculo, facere ea licet; ut deinceps exactiùs conſtet, præſtétne hoc Artificium imitari, an potiùs deſpicari.



IN-

INDEX RERUM.

A.

C.

E.

F.

H.

I.

M. Lac

L.

Saliva-

S.

T.

Trans-

ERRATA.

PRo exigua, leg. exigua p. 3. lin. 2.
Pro è bruto, leg. ex homine p. 9. lin. 24.
Pro redintegrescat, leg. redintegrascat. p. 11. lin. 29.
Pro interredit, leg. intercedit, p. 14. lin. 31.
Pro ircationale, leg. irrationale, p 14. lin. 32.
Pro Transusione, leg. Transfusione, p. 18. lin. 27.
Pro quod, cunq., leg. quodcunq., p. 93. lin. 3.

FINIS.





